

14









No 344. S. 88.

2 gr.

den 15ten November 1817.

Christian Friedrich Paritius.

JWE Gerhard. d. 7 Jun. 1810.



Böner Sc.

INCLUTÆ BIBLIOTHECÆ NORIMBERGENSIS MEMORABILIA,

hoc est,

Naturæ Admiranda,
Ingenii humani Artificia,
&
Antiquitatis Monumenta.

Quæ,
in Illustri Noricorum Universitate,
JOH. JACOBUS LEIBNITZIUS,
JUSTI JACOBI, BIBLIOTHECARII, F.
Idibus JunI, cIↄ Iↄc LXXIII.
sollemniter recensuit,
additis Annotationibus necessariis.

Accedit
CHRISTOPHORI ARNOLDI, V. C.
De
Hydriotaphia, hoc est, Urnis sepulchralibus,
in agro Anglorum *Nortfolciensi* repertis,
Epistola gratulatoria.

NORIMBERGÆ,
Apud Wolffgangum Mauritium Endterum, & Johannis Andreæ Endteri Heredes.
cIↄ IↄcLXXIV.

Johannis Ephraim Scheibel Vrat. 1783.



M. CHRISTOPHORUS MOLITOR FACULTATIS PHILOSOPHICÆ H. T. DECANUS.

Benevolo Lectori

S. P. D.



Emporum nostrorum & ingeniorum luxuries, eruditionis, quæ hodiè ad summum pervenit, arcana, olim ex Præceptorum ore calamóque hausta, solis ex libris percipere fastidit. Vilescit anxius Ptolemæi *labor, septuaginta millia Authorum instruentis; puerilia sunt Dictatoris* Cæsaris *ex victis gentibus librorum sollicita collecta; nec* Augusti *diligentiam in iis conquirendis nunc admiramur: Typographiæ denique felicitatem spernimus & cupimus ipsarum intuitu rerum, non minùs quàm librorum lectione doceri. Hinc laudandarum* Bibliothecarum *decus & ornamentum non tantùm in multitudine scriptorum consistit; verùm etiam variarum rerum ad scientiam pertinentium farragine: Ex qua feliciùs discitur, quàm sæpè ex plurimarum paginarum altercati-*

one. Quemadmodum enim imagines fortium Virorum ſi inſpiciuntur, tenaciùs inhærent animis, quàm longus de ipſis ſermo; ſic rara in Bibliothecis *oſtenſa, altiùs penetrant, & nullo obliviſcendi metu firmæ inſident memoriæ. Hinc quorundam ſtudium in conquirendis figuris æri inſculptis & imaginibus eſt occupatum; quorundam labor in coacervandis numis antiquis deſudat: alii naturæ rara conquirunt, metallorum origines, & incrementa inveſtigando, nunc imperfecta ea & affecta, nunc effecta ordine oſtendentes; reliqui lapidum luſus & naturæ jocantis exempla magno ſtudio congerunt: ſunt qui ex aquis & Oceano frutices & plantas marinas, varia halcyoniorum genera teſtacea & cruſtacea, nec non piſces animaliáq; amphibia exſiccata explicant. Patefaciunt alii mineralia, rubricas, ſales, alumina, ſulphura, bitumina, aliáſq; terreſtris naturæ ſpecies: neque omittuntur gemmæ & pretioſi lapides. Animantium porrò, tàm volucrum, quàm quæ terra maríq; vivunt, ipſorum quoque hominum oſſa, ſceletáq; in propatulo ſunt. Denique & aberrantis naturæ monſtra in hoc theatro producuntur, & vel pulveribus Arabicis, vel nobilioribus exſiccata* aroma-

aromatis hominum demortuorum cadavera, quæ salutaria vivis remedia exhibent, quicquid etiam remotis à Sinensium Indorúmq; gentibus, novóq; orbe rarum exportatur, exponitur: Ipsa miserorum numina, fragili ex materia & flavo terræ luto conflata, vel ad risum, vel ad promovendam misericordiam ob cæcos rationalium animos, qua forma, quo vultu sint tetro, & horribili aspectu conspicienda, proponuntur. Quæ res in hominum animis & admirationem parit, & maximam divini Numinis potentiam, quam nemo homo discendo sàtis comprehendere potest, patefacit. O singularem *DEI* nostri providentiam! *qua nobis concessum est, nosmet perficere, & multa maximorum Doctorum, in omnibus scientiarum generibus, lectione, & solo aspectu maxima ejus miracula ad animum demittere.* Tale Sapientiæ Domicilium Literarúmque Sacrarium magnarúmque animarum Palatium, merito vocatur Bibliotheca, quæ quotidiana DOMINORUM NOSTRORUM Munificentia Noribergæ & libris doctissimis & rebus rarissimis locupletatur, publica. *Cujus laudes, si spectes codicum tùm MSS. tùm excusorum copiam & dignitatem, luculentissimis orationibus,*

pro eruditione suâ expressit Magnus Saubertus, νῦν ἐν ἁγίοις, *cujus fama apud nos & alibi locorum adhuc vivit: vivit & ipse* in Filiis, *sui prorsus similibus, de re literaria & sacra optimè, utinam diutissimè, merentibus. Cui cùm à* Dilherro *secundus in munere Bibliothecarii obeundo, Successor datus esset*, Plurimùm Reverendus, Amplissimus atque Excellentissimus DN. JUSTUS JACOBUS LEIBNITZIUS, Antistes Sebaldinus, Patronus noster æternùm honorandus, *Cujus nomen, si audis, Pietatis ejus zelus & consummatæ Eruditionis atque Eloquentiæ Decus animum subit, permisit ipse filio adhuc unico*, Bibliothecæ pulcra *perreptare* penetralia *& quæ præter Authorum comprehensionem notatu digna extant, excerpere. Quod singulari persecutus est diligentia, Paternarum Virtutum, Pietatis atque Doctrinæ æmulus, qui notam falsi inurit proverbio*, Heroum filii noxæ. *Ille postquam diligenti lectione plerosque bonæ notæ apud Latinos Authores evolvisset, quæque digna sunt, in usum excerpsisset, nullum studium omisit, quin ea, quæ pervestigavit miranda, oratione docta complecteretur.* Macte Virtute hac JOHANNES JACOBE LEIBNITZI,

& fu-

& futurum Te laudis Paternæ heredem ex asse auguror. VOS verò

MAGNIFICE DN. RECTOR,
ILLUSTRISSIME DN. COMES,
EXCELLENTISSIMI DNN. PROFESSORES,
Túque Nobilissima STUDIOSORUM Corona,

quia cras *hora IIX. matutina, quæ conscripsit, publicè & solenniter est recitaturus*, Benevolentia, Gratia & Humanitate præsenti, *Juvenis ardentem animum inflammare more Vestro, quo literas erigitis & promovetis, quæso pergite: Pietatem namque ejus erga Vos, & pro hoc officio Gratiam, nunquam esse intermorituram, sanctè spondeo. Valete.*

P. P. S. S. Facult. Phil. pridie Idûs Junii A. R. S. cIↃ IↃC LXXIII.



Σοφῶ



Σοφῷ καὶ πολυμαθεστάτῳ τῷ Νεανίσκῳ, Κυρίῳ

ΙΩΑΝΝΗι ΙΑΚΩΒΩι ΛΕΙΒΝΙΖΙΩι,

Πατρὸς ἀρίστου ἀρίστῳ γεννήματι, Ῥέζει εὐτυχεστάτῳ.

ΕΥ καὶ ἐπισταμένως, ΛΕΙΒΝΙΖΙΕ, ἐξερεείνεις,
Ἄττινα Νωρικὴ Βιβλιοθήκη ἔχει.
Ἠνίδε, τῆς ἥβης καὶ εἴαρός εἰσιν ἀπαρχαί,
Ταῦτα. ὦ εὐφυΐης κάλλιμα δῶρα τεῆς!
Εὖγε, φίλη Κεφαλὴ, βάλλ᾽ οὕτως· ἤδ᾽ ἅμα πείθου,
Ὅττι μετ᾽ εἶαρ ἐϋ ἥξει ὀπώρα καλή.

Συγχαίρων καὶ πάντ᾽ ἀγαθὰ ἐπευξάμενος,
ἐποίησε

Γεώργιος Ματθίας Κοινίγιος.

Βίβλους, ἰδμοσύνης πάσης σοφίηστε δοτείρας,
Σπουδῇ ἀναγνώσας ΛΕΙΒΝΙΖΙΟΣ, ἐννέα μούσαις
Πολλὰ φίλος πέλεται, ἔμψυχος βιβλιοθήκη
Αὐτὸς ἐὼν, λαλέει κειμήλια βιβλιοθῆκης
Ἐν Νωριμβέργῃ οὔσης. Συγχαίρει Ἀπόλλων
Ἡδυεπεῖ θεράποντι ἑῷ. Βέλτιστος ἐκεῖνος
Πατρὸς βελτίστου, θυμῷ φρονέοντος ἄριστα,
Υἱὸς ἔφυ, διδαχὴν γενετῆρι καὶ εἴκελος ἤθη.
Οὕτως ἂν τίκτει φοῖνιξ φοίνικα φίλιστον.

Cultisſimo DN. Oratori,
Optimo Affini

ſcrib.

Andreas Unglenkius.

U.S.F.Q.P.



U. S. F. Q. P.

MAGNIFICE DN. RECTOR, ILLUSTRISSIME DN. COMES, EXCELLENTISSIMI DNN. PROFESSORES,

Nobilisſimæ Lectisſimæq; Juventutis aureæ flos!



Umultuante rerum novitate, verborum pretium hodie amittit, quisquis audientis animum, novorum oſtentatione, neſcit demereri. Ea nempe mala ſcabie prurimus miſeri, ut ex omnibus *hæc* æſtimemus una: quo veterum immaturo faſtidio, qua voluptatis opinione, quo petulanti ſeculi genio, equidem ignoro.

Non alia placent aurium irritamenta, ac rerum novarum perſonata commenta. Non narium amœnior copia, quàm ver novum. Lanuginoſum ſit oportet, quod titillet. De muſto ac lacu niſi fervida omnia, ſapora non ſunt: nobilisſimæ etiam voluptatis, vel ſemel redeuntis, vix patientia eſt. Uno: recentia extollimus, veterum incurioſi, ac eorum, quæ velut ex longo intervallo vix cernuntur. Tempeſtiva res, cujus fibras elidamus, modò ſeculi noſtri tempora, quibus adhuc faciliùs vitia noſtra, quàm remedia patimur, ſinerent. Digna, cujus mendum corrigat prudentisſima Gaditanorum litura, quorum aræ, non *Menſi* tantùm, ſed & *Anno* fumârant, ita colentium novisſima, ut antiqua non contemſisſe viderentur. Sit Novitati ſuus lepor; & Antiquitati non ſine Venere asſurgimus. Cana res eſt Antiquitas, ſed ſancta, utut carioſis incedat pedibus; pulchra eſt, modò linteis detergamus,

mus, cujus ſpeciem, veluti fumoſas imagines, caligo quædam neglectæ vetuſtatis obduxit.

Macti, ubi ubi eſtis, novitatis incontinentes Proci, virtute priſtina culpam iſthanc emendate, nova has inanias gloria abolete!

Alia omni æſtumatione VOS metior, *Aud. Opt.* quibus ſuaviores illecebræ, quò vetuſtate robuſtiores, qui pretia rerum ſtatuitis, non quòd novæ ſunt, ſed quòd valent. Agite, & qui benevolè huc confluxiſtis, in inclutæ *Bibliothecæ Noricæ Antiqua* & *Memorabilia* mecum inquirite.

At, cùm ſemper egregium ſit, metiri quantùm valeas, excuſatione tenuitatis meæ odium arrogãtiæ publicè deprecor. Eam olim Alexandro Magno ementiendæ ſtirpis vanitas fecit ſuperbiam, ut nullius præter Polycleti æs, Apellis colores, Pyrgotelis cælamen, in adornanda effigie ſua admitteret. Quidnî ſuperbiat egregium hoc *Orbis compendium*, BIBLIOTHECA, quæ VIRI, immortalis gloriæ, *Johannis Sauberti*, eâ nobilis eſt facundiâ, ut Apellem in fingenda Venere ille imitatus, penicillo non potuisſet meliùs, ære ſplendidiùs, cælamine elegantiùs: dignisſimus & Apelles, & Polycletus, & Pyrgoteles; nec injuſtè nunc oratoris novi deridiculo ſit

Os blæſum — debilíſque lingua.

Dedit vir modò laudatus, cujus grande deſiderium perſtabit in memoria Virtutis, Inclutæ *Bibliothecæ* hujus *Structores & Curatores*; dedit *rariora*, ad Codices inprimis aut ætate, aut calamo inſignes pertinentia: me, quæ infra tanti Nominis gloriam erant, quæ *Artis*, quæ *Naturæ*, quæ *Antiquitatis* ſuperſunt, juvabunt Monumenta.

Nec aliquid impendere indignabimini, *Aud.* ut denuò pulcherrimum hoc limen tranſeatis; Benevolentiam nempe Veſtram, cui, propria deſertus fiducia, omnem ſpem meam eloco. Cogitetis, & in pontibus obolum pro tranſitu dari. Dum itaque rebus *antiquis* intereſtis, *antiquum* animum mihi præbete; quem mereri, quàm emendicare, malim.

QUOD.

QUOD FORTUNATUM MIHI, VOBIS IUCUNDUM EVENIAT,

— — — * *Vertamur* in orbem,

Addamus sacris * *oscula liminibus.*

Sacer enim hic locus est, nec sine religione adeundus. Adjuramus profanos lapide, cui mecum inseritis oculos, immortali præcone :

ILLUSTRIS. CURA. STUDIOQUE. FAVENTE. SENATUS *Inscriptio.*
HIC. HABITANT. MUSÆ. PALLAS. HYGEIA. THEMIS
ET. DEA. LUX. VERI. ET. REVERENTIA. NUMINIS. HOSPES
PASCE. VOLENS. LICITIS. MENTEM. OCULOSQUE. MODIS
AST.* *UNGUES. COHIBE.* RHAMNUSIA. NON. PROCUL. ET. QUÆ
SUPREMUM. CLAUDIT. MORTIS. IMAGO. LOCUM

Vos verò exoptatissimi Hospites, clari Majoribus Vestris, egregii ipsi, succedite intrò, quos salvere jubeo voce summa, quoad vires valent. *Æternitatis* hoc *Capitolium* est, quod dum conscenditis, triumphare mihi videmini, non * *coram milite laureato*, sed in facie omnium, omni ætate & sua & Patriæ gloria splendentium. Quicquid ex his amavimus, quicquid mirati sumus, hic manet mansurúmque est. Capitolium olim vel ea magnificentia Civibus suis conspiciendum erat, quòd * *quadrato saxo* substructum esset. Nostrum hoc, non saxorum mole æstimandum, aut lapidum congestu stare credendum; *muta ista & inanima intercidere ac reparari promiscuè possunt* ; Interna perpetua sunt. Hæc una fidelis memoriæ custodia rerum gestarum, horum incolumitate æternitas Orbis obsignabitur.

At reprimo me, ne vel suspensa Ora Vestra laudum amplitudine magis magísque diducere velle videar, aut communia morari desideria.

En vobis fores SOPHIÆ Consultorum, quas si subire libet, licet; foràs enim ipsi non audent *Ambulacrum I.*

— — *membris exire senectis.*

Meo ego instituto, ad hæc digitum intendo siparia, operosa manu elaboratam tabulam involventia, vicinarum ædium, aut arcium potius, æmulam, coloribus adeò egregiè no-

ctem imitantibus, ut veróne Natura vicerit, an Ars venusto mendacio, hæreas. Cœlum stellulas flammulásque sine numero, sed in numerum circinat, è quo siderum Theatro spectaculum Cometa dat, radiis tanquam spiculis armatus, cujus, nescio quo pabulo, enutritus ignis, annis retrò decem in flam̃as surrexit. Res visu pariter ac memoria deformis: ponite tamen metum Hosp. impunè videtis, exarmatum jam suo fulmine, quem alii cruento suæ cladis fato. Chaldæus non sum,

Cometa depictus.

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum:

fortasse tamen Gallus miles neque Marti nomen dare potuisset, nisi Classicum canente hac stella: nec Hollandiæ bellum indici, nisi Patre patrato Cometa; nec mortale Belgium *(meliora!)* mori, nisi Cœlum ipsum lugubri rogo funereū ignem admovisset: sed erro: nostra hæc inquietudo est, * *innocens cœlum*! Erecta in lætiora mente, gratioribus dandus est animus; &, si nihil Vobis adsperserit molestiæ, illi Vos mecum transcribite machinæ, quæ á carie temporúmque injuria liberetur, candeat gemmis, fulgeat auro, dignissima est. Minerva enim ex marmore viliùs fit! Nolite jocum putare cachinno deludendum, penitiùs Vos si admisero, detinebit cum oculis animos Vestros opera penicillo Apellis, Phidiæ solertia, industria Lysippi nobilissima. * *Abacus ligneus* est, Veteris Fœderis Chronologiam accuratissimam sistens, serie pulcherrima, Patriarcharum, Ducum, Judicum, Prophetarum, Regum & Pontificum denique, ad Annum usque R. S. quintum & quadragesimum *Historiæ Sacræ Amphitheatrum pretiosissimum.* Artificis nomen, haud scio qua iniquitate, jamjam evanuerat, dandámque eam Antiquitati veniam putavimus: at, quod hactenus pudebat, utinam nunc coràm gloriari liceret, non eam seculi nostri incuriam esse, quam adeò Dædalæ manus immemorem, redarguat serior ætas. Mecum ipsi mentem adhibete, benè qui conjiciet, Vatem hunc perhibebo optimum. Lætor equidem augurio animorum insignium, quibus * *Regiomontanus* placet: nec infelici id conjectura, quippe ex Italia reducis in urbem Noribergam favor prærogativæ

Abacus Chronol.

gativæ





ad pag. 13.

gativæ inclinavit, hanc ante omnes adiit, hoc Præceptore incluta primùm didicit ſuo ſupponere cœlos ingenio. Hîc venerabilis miraculo literarum, multísque devinctus beneficiis, hanc grati animi reliquiſſe teſſeram creditur. Fecit certè liberali hac beneficiorum interpretatione, ut denuò obligemur, novámque indies gratiam ipſi debeamus. Et ſcelerato ſignanda nomine porta, quæ petentem denuò Italiam dimiſit: ubi infelici calice mortem invenit, invidiæ dolo, cujus ſi magis cauſam, quàm ipſam invidiam intueamur, Virtus eſt; quam nunquam non ægris oculis livor introſpicit, modum fortunæ exigens. Mallem vivum laudare, quem vivum fovit urbs noſtra, demirata eſt Italia, obſtupuit Orbis, nunc ereptum ignavo proſequi queſtu, tanti non erit.

Vos potiùs Hoſp. gratisſimi, nummum parate; periculum enim eſt, ne lites experiamur, niſi depeciſci velimus. Scholaſticorum hîc compita ſunt, quorum * *Nominales & Reales*, invicem nudius tertius petulanti convicio usque ad pallorem, heri usque ad ſputa, & aliàs, usque ad pugnos decertârunt. Acerba gens eſt, facilè incaleſcit, ſtomachoſa difficilè delinitur, clamoſa virus fellis exudat effuſisſimè. Adhibenda illi fomenta erunt, ut pacem ferre velit, quam ego medicinam nec præſenti ſeculo inviderem. Salva tamen res eſt, locum cum periculo mutavimus. Ambul. II. Scholaſtici.

Muſeo nunc oculos curioſos applicabimus, antiquitate amœno, & Naturæ miris curioſo. Huc itaque manus ego, Vos ora convertite. Vaſcula fictilia ſunt, tenuisſimâ argillâ, pulcherrimis ſubflavi coloris imaginibus ducta, religionis priſcæ ſymbola genuina. En * *Acerram*, è qua Acerra.

dat populus, dat gratus eques, dat tura Senatus,

ſuis pulchra manubriis, ornata operculo, apta, quæ & felicis recipiat acervum, & paupertini grana; nec precum ſubvertitur virtus

---- Mente magis, plena quam lance dediſſe.

Alterum * *lachrymarum receptaculum* ajunt, in quibus olim lugentium affectus creditur deſpumaviſſe. Quod cùm Vas lachrymale.

 viderit

viderit prior ætas, nondum mirari desii, posteris affirmare non ausam, imò vix ipsam sibi fateri, quæ adeò obstinatam famam subscribentem habent, quâ standum, ubi certam derogat Vetustas fidem.


Lucernæ. * *Lucernæ* nunc oculos ad se invitant, arsuræ adhuc, sibi si fuissent relictæ. Quo *æternitatis fomite*, dentata charta inter Elegantiores agitur, ita tamen, ut deprehenderim jurare in ea potiùs, quæ volunt quàm quæ sciunt vera esse. Ego bellum non moveo, ne omittere motum cogar. Vos egregii literarum Camilli, Correctores, Critici, ohe dum nunc ad me, est in quo stilum exerceatis, adeste, admovete manus, edicite, Q. F. P? literæ in ventre apparent, Senio exesæ. LUCIM. EXOFIUSTI. Agite Vos Oedipos volo Davus! Vereor, Audit. Optimi, ne moribus antiquis JUSTUM, ad alteram excitent Satyram. Urnis quondam appositas fuisse, quis est, qui nescire velit? Non scimus, indagine imprimis causarum implicati. Vagularum forsan animularum cura invexit? Magna certè ratione, ne nempe * *cum cineribus manentes*, in tenebris agerent; aut illuni nocte pedis digitum offenderent; aut surculum calcarent; aut capite graviter offenso ad cineres ipsæ defluerent. Parcite his ineptiis, quibus si ereptus fuero, immortalitatis symbolum dixero nec inani prurigine, nec dubio calculorum aliquo favore. Miseret me vicem Nobilissimi Liceti, quem dum nomino, proh! quàm immensum omnis Eruditionis mundum complector! cum quo calculum posuit Ferrarius. Velim ita natura tulisset, ut superstes causæ vindex fuisset! Interim vult sibi quisque credi, & vana sæpè pro veris valent. De his verò plura quàm debui, pauciora quàm volui.


Quid fieri placet?

Reliquiæ è terra sancta. Neque morabimur invicem, ego Benevol. Vestræ Constantiam, Vos sermonem. Orientis pignerabimur fortunas, quarum brevissimus aspectus magnis aliàs itineribus emitur; nos eo viæ utemur compendio, ut redire semper liceat; nec sit, cur aut de calore queramur, aut succenseamus nivibus. Per saturam omnia hæc nobis cistella ostendet, hinc

&

EXOFIVSTI





& hinc ſuis diſtincta loculis. Ad Cunas autem quotquot adeſtis, revocandi mihi eritis, cujus facti non veniam, ſed laudem expecto. Nec enim eò depoſci Vos pudeat viros & firmatæ ætatis, in quarum hoſpitali ſinu inter culmos & fœnum, æterni DEI vagiit infantia. Uſurpate oculis, incunabulorum fruſta ſunt, quæ ſpatio circumſcripſere immenſum, potentia incomprehenſibilem, humilitate admirabilem, *Salvatorem*. Uſurpate oculis, & oculos ſequente manu explorate * *carceris lapillos*, qui ipſam LIBERTATEM in vinculis continuit, Salvatorem. En olivæ ſegmenta, ad quam ipſe in ſe ferreos nexus tranſtulit, alligatus hilarior, quàm nos ſoluti, Salvator. En varias locorum reliquias, è quorum primo, ſpectaculum Judaicæ feritatis dedit, Deus in carne afflictisſimus, Salvator, hoc Pilati præconio: ECCE HOMO! Dein' ubi Apoſtolorum, quacunque patebat via, erumpentium conſtantia, levi in fuga deſiit! Ubi nata eſt B. V. M. ubi * *viſitavit Eliſabetham*. De * *agro ſanguinis*, de villa Bethphage, de campo Damaſceno: ubi gravi ſomno ſopitum, & ſuis malis indormientem Simonem, lethargo eripuit Salvator: de natatoria * *Siloe*. De montibus * *Thabor* & * *Sion*: de Caſtello Emaus: ubi Elias dormiebat: de luto Jordanis: de fontibus inſuper Mariæ & Apoſtolorum. Quorum ante quàm obſignem ſermonem, Golgathæ etiam ſaxa produco perpetuam odorum tempeſtatem ſpirantia: Vos ex ingenio quisque ſuo demite, addite fidem, impunè utrumque.

Naturæ miris pollicitatione mea debetur Oratio, quorum niſi Muſeum hoc tutelam gereret, fabulas aut fictas res duceretis. Puerperium Gallus expertus * *Ovum* excluſit, mira Naturæ vicisſitudine, explorata tamen fide. Confeſſam rubore verecundiam Lucinam ajunt, maſculi precibus implorari, Ovum Galli.

ut ſolvat partus molliter illa ſuos,

ſubriſiſſe tamen lepidam, & obſtetrices manus tuliſſe. Non equidem me falſum habet, eſſe, qui facem hac de re bello præferant, mallem tamen argumentis potius quàm clamoribus!

bus decertari, quo victor discederet gloriosior, doctior victus! Deucalionem magnæ Matris ossa, id est, Telluris lapides, Themidis monitu, post tergum projiciendo, humanum

Calculi corporibus exemti.

restituisse genus, Vatum errore credidere gentes: Si ineptire religio mihi non esset, relictum quippiam in nobis ex illo jactu dicerem, duræ originis tabulas perpetuas, quoties inprimis * *folliculum fellis*, stomachi culinam, renum & vesicæ inviso officinas. Emerso ab admiratione animo, videbitis non calculum, sed saxum ingens, è vesica quondam Magni nostri *Sauberti* excisum; cui si fiat, ut qui meus est sensus, esset idem omnibus, omnium animi æterna extarent Mausolea: nam quæ lapide aut maculoso marmore exsurgunt, si arbitrium posteritatis, amaritudine ingenii damnet, pro sepulcris spernuntur. At,

quid Vobis animi, quis color oris?

In hoc magnitudinem mirati, nunc cum silentio defixi, in alio externam faciem animadvertite: *Ducis Mercurii Galli* est, qui Noribergæ, quam in patria non poterat, quæsitam


Anno 1601.

mortem invenit, febris levi igniculo exolutus; cujus cum Melampus inter alia renes expertus novacula esset, cotem secare visus, & secuit. Mox inde calculum depromsit, formæ in tantùm prodigiosæ, ut digitos projicere, & ex parte crucem etiam pulchrè videatur exprimere, quam ego in crucem sæpiùs eum egisse crediderim. Mole utrique superior tertius est calculus, è *Georg. Majero, Holmiæ* extractus, pondere librali, cujus quidem lignea nobis copia est, reliquorum cerea. Funeribus hos suis interfuisse dixero, sentientes se mori. Non humanæ verò sobolis cruciatus, hujus mali inclementiam depascit; quæ * *ratione expertium* etiam sortem admiscet. Prædem hunc Catelli lapidem accipite, magnitudine ultra quàm nucis juglandis, formæ nec rotundæ, nec oblongæ, sed utriusque. Quo miseri merito id evenerit, equidem ignoro: certè non vini consuetudine.

Pyrus lapidescens.

Nec è curioso hoc nostro Museo eliminanda pyrus est, quæ in lapidem solidissimè congelavit, quod aquæ virtuti mul-


Cornutus.


Ovum Gallj
1663 & 6 Maij:


Canis.
Hac magnitudine calculus Vesicæ Holmiæ extractus est, è Georgio Maiero. 7 Nov. 1648: Pondus erat ℔ 1. Civilis. 5. 32 Loth.


Ducis
Mercurij.


Cornua Vaccæ
1654

cum multis, ætate ac uſu edoctis, adſcriberem fidentiùs, niſi ultro citróque fide data accepiſſem, in ædibus veteri proſapia Nobilisſimæ Familiæ, quam florentem ac æternam ominor! conſectæ arboris truncum ita obriguiſſe, ut, ſi ferro everberes, ignem exoneret, ſine tamen ullo lymphæ confinio, ſi ſuum memoria officium facit. Verùm enim verò naturæ joco hæc potiùs, quàm peccato fieri, conceptisſimis verbis conclamatum ab iis eſt, qui animum in hunc ludum miſére curioſiùs. Imò adeò feſtivitati ſuæ facetiarum mater lepidiſſima non temperavit, ut, deprehenſa primùm, fontium hæc virtute, Circeo quaſi poculo, ludere, ne manifeſtò teneri videretur, novo lepore falſas humanas mentes fuiſſe, indagatoribus perſuaſerit, vaſtásq; expanſis ramis arbores hinc inde in montibus, ſine aquæ ſuſpicione, in rigidisſima ſaxa commutaverit, cujus audacia & brutis experta, in ipſo homine deſiit. Edoctura, non utiliter in ſubſidium venire rationem, ubi nihil proficit, cujus ſacra credantur quàm diſcantur feliciùs. Quo illud obtinuit Natura, ut avidiùs inquirentes invenerint, vim quandam metallicam lapideſcentibus ingenitam, idque aut ſtellarum virtute, aut loci opportunitate. Faſtorum Francofurtenſ. fide uti ſi libeat, retulere illi Anno 1628. Nobilis Hungari opes magnificas, in ſubterraneis reconditas filiam quæſiviſſe, parentis ex aſſe heredem, inveniſſe etiam arcam, quæ effracta, cum diu ſatis ſub malleis gemuiſſet, lapide undique induta, effudit lapidea omnia, quæ aurea acceperat, præſentisſima adhuc poculorum & monetarum figura: ut certiori itinere ad egeſtatem ſe feſtinaſſe heres deprehenderit, quàm fortunæ amplitudinem. Peſſimum Alchimiæ genus, ex auro lapides ſi fiant!

Sed ſpei Veſtræ exordia in deſtinatos ſucceſſus deducenda mihi paulò profundiùs ſunt; atque ut evolvam moras, *Ollam* produco, virtute quàm arte nobiliorem, * *veneni impatientem*, quod ſimul ac excepit, aut evomere ajunt, aut rumpi. Vaſculum, * *Murrhinis & Onychinis* contra carum. (Olla veneni impatiens.)

Quid? quod si Imperatorum Regúmque mensis innotesceret, vererer, ne aurum ipsum vilesceret.

Gallus Quadrupes. Aberrantis etiam Naturæ in alienos fœtus vestigia hîc observamus: *Gallum*, quem non bipedem, sed quadrupedem natura produxit. Cornua mira vaccæ. *Cornua*, quæ utut primùm cervina mentiantur, bovis tamen fœminæ fuerunt, matris certè vitio, quam aut de communicando fœtu cervus convenit, aut impensè nimis imagine facta errare permisit natura. Quæ si Romanis olim evenissent, aut hostiis majoribus expiassent, aut lectisternia indixissent, *adeò minimis etiam rebus* * *prava religio inserebat DEOS.* Nobis veterum more cornua hæc * *Dianæ* suspendentibus, si votis vestris opportunus fuerit, Cornutus. * *Cornutus* dictum factum! in scenam se afferet, cujus frontis eminentia palàm, causa in occulto est. Credas homini inordinato forsan amoris incendio licentiùs æstuanti, quæ illatis in alienum torum vestigiis corrivali volebat, ipsi accrevisse cornua, unanimi amantium suffragio:

Inter quem quondam lis orta est atque Beanum,
Cornibus esset uter firmior *aut melior?*
Cornutus vicit, quod mox in fronte videre est,
Ille caduca, *sed hic cornua* fixa *gerit.*

Ea verò nunc supersedendum orationis parte est, quæ reliquis Anatomicorum scriniis operam dedisset. Neque est, quod curatiùs edisseram ea, quæ vos videre malo: desideria tamen vestra exspectatione sua ut liberem pleniùs, ex homuncionum familia nonnemo adest, & *pumilio, licet in* Embryo. *monte;* quem tamen tenella infantiæ ætas potiùs, quàm naturæ parsimonia in nodosum hunc globum ligavit. Quod Craniorum robur. reliquum est, * *crania* habemus, Suecorum alia, alia Germanorum: hæc ut levi ictui lethali vulnere viam fecerunt, ita illa vix plumbeæ glandi. DURUM GENUS!

Sceleta. Vereor ne ad Calvariæ montem adducti videamur, eam ossium copiam nobis, varia corporum solidamenta affundunt:

dunt: de quibus quid dicam, non reperio auribus vestris dignum, nisi forte *noctuam* adesse, oculatissimam quidem, sed, ut sunt ingenio nocturno, adeò cæcutientem, ut viam non inveniat, quà itur Athenas; quamvis non magni interesse existiment alii, ad decus & laudem civitatis. Aut, *sciurum*, ejurantem æstu flagrantissimo, umbram sibi cauda non facturum, quòd pili defluxerint. Aut *Ranam*, in media Germania, Seriphiam; altùm quippe silet: aut *Testudinem*, hieme terram non subeuntem: aut *Mustelam*, bono omine præsentem: aut *Ardeam* adesse, sed perpetua temperantia, pisces, stomachi antehac unica solatia, negligere. Et ut in serium rem vertam, sacramentum vobis dico, diu esse, quod ab hoc, quem videtis, *lynce*, lyncurium quæram, nec adhuc quicquam invenisse. Imò ne vanus suprà fuisse videar in Capitolii nomine, en firmamentum ac robur nominis, *Bubali caput!* Et his curiosum Museum nostrum obsignantes, obviam adhuc habebimus * *Ciconiam*, Æthiopiam, si quid mihi creditis, nunquam demigrantem. * *Simiam*, limaces pectori arctissimè admotas non pavescentem. *Homines*, cerebrum non habentes, ne in calcaneo quidem: *aquilam* insuper & *lupum*, at, nec viribus feroces, nec ingenio violentos, nec minaces vultu, neque *edones*. Unicum superest hujus generis, quod silentio premere, instituti mei ratio non patitur, non rei dignitas finit, non vestra attentio remittit. Fabrica hominis est * *cute denudati*, musculorum situ, venarum viis, ossium divortiis, membrorum vinculis, ita ad viventis naturam facta, ut artificem, omnem in ea excussisse artem edixerint, in scena hujus artis permultarum palmarum histriones. Cute denudatus.

Æsculapiorum tandem subsellia prætervehentes, ad novum appellimus ambulacrum, quod ante quàm conscendo, amœnissimum portum teneo, ad quem nisi aut nostra, aut artificis adnavigasset industria, naufragium ille artis fecisset, nos præsentiæ. Hortus is Eystettensis est, in quo non modò qui apud nos aut colore aut odore præstant flores, verum etiam Ambulacrum III.

iam ex peregrinis præcipui visuntur, quos alieni solis patientiæ assuefecerat superioris ætatis cura. Opus ea naturæ artísque varietate spectabile, ut ubi jam hiemis sævitia odoratissimos hos ornatus alibi damnaverit, hîc ars *perpetuam* ridentis naturæ pompam intuentium oculis explicet:

Viderit hanc aliquis, naturæ dixerit esse:
Admoveat digitum, dixerit artis opus.

Ne verò & iis quæ supersunt, aut splendorem ordini, vel splendori antiquitatis deesse ornatum, animos Vestros
Chalciœcô. subeat, documentum rei vobis en * *Chalciœcon* adaperio, inauratis opertum tegulis, argenteis laminis, parietibus suffultum, ut *quis tanti habitaverit?* non frustrà quæsiveris. Reliquiis olim sacrum erat, nobis non relictis.


Ceterùm Bartolus & Baldus ad album hìc sedent. Qui recentium ac musteorum planè scriptorum adhærentem seriem secum trahunt: Aldrovandos, Kircheros, Schottos, Castellos, Waltonos, Bochartos, &c. papæ quantos!

queis doctior orbis
Summissis defert fascibus imperium:

Qui simul velut * *ova* illa *ad notas curriculis numerandas*
Ambul. IV. exposita olim, *quarti ambulacri* nobis iter ostendunt.

Æterna merita Incluti Senatus Norici non patiuntur dignam hîc suam præterire immortalitatē, cujus incolumitate, harum rerum æternitas, mea cum vestra salus, & Bibliothecæ hujus nobilissima fir-
Supplementa Bibl. mantur incrementa. Hæc recentia pignora sunt, quibus indies suum erudito orbi obsignat amorem: hæc materia est, qua perpeti solicitudine unóque velut tenore Reipublicæ suæ absolvit gloriam.

Idque




vide. 22

Idque Tua imprimis publica munificentia, Magnifica autoritate fulgentissime DN. GEORGI SIGISMUNDE FURERE, quæ tantum profecit, ut in privata non rarò beneficia se gloriosè diffundat. Donatio digna quæ in Theatro fiat, * *qua Bibliothecam* hancdenuò haud ita pridem *Tibi* devinxisti, cujus nunc publico nomine TANTORUM in ipsam MERITORUM ÆTERNITATI, EN! TEMPLUM VOVEO.

Accipe, quæ pietas pendit Tibi vota merenti.

Tua pariter hîc divertitur gloria, quam amplitudo Natalium, & Majorum dignitas, & Tua potissimùm Tibi virtus imposuit: pacis belliq; usu Nobilissime DN. GEORGI CHRISTOPHORE VOLCKAMERE, qui non Carthaginem nec Athenas, sed (majora!) totius Terrarum orbis pretiosum simulacrum, quasi Triumphator ad hos gloriæ arcus advexisti. Tabula Geographica elegantissima.

Facit *Tantorum Nominum* memoria Auditores! ut implicatus in sese eat, redeat; gradiatur, regrediatur; & refractarius quasi (quia impar) intersistat orationem difficilis sermo: nec in obscuro est, satiùs verecundè differri Tantas, Patres Patriæ Splendidissimi, laudes Vestras, donec loquentia mea suæ supervixerit infantiæ, digniorque Spiritus hos artus, hanc linguam meam animaverit.

Theologorum nunc *Chorus* se pandit, & elegantia & pretio omni hactenus foro superior; cujus interiora penetrare & ordinis & instituti ratio reliquum facit.

Solent Cursores stadii curriculum pedibus metari alacriùs, quò angustiore confinio sunt constituti. Nolite impatientiæ manus dare Hosp. Vener. nec enim hujus, sed cōstantiæ laus est. Ita admovebimus lineas feliciores: pergite, & si ter-

minare oculis metam lubeat, huic *vos* scrinio admovete: cujus custodiæ, ad instar Lararii, * *Mexicanum* hoc Idolum mancipavimus, quod copioso * *auro inspersum* ambitiosè prospectat, nobile unionibus, gemmis nitidum, torquatum etiam, & pulchrum undique, nisi omnem cultum una deformaret membrorum fœditas. Vultus distortus est, pectus velut squamis obductum, lingua dentibus suspensa, & ut numero dicam, deformia cuncta. Speculum post tergum promit, futurorum, clementiæ etiam, ac iræ vatem. Instar Vejovis coli credunt, ne probrum castis, labem integris, infamiam bonis inferat, aut noceat universis. *Indignum humanarum mentium ludibrium!*

Charta Chinensis. *Chartarum etiam Chinensium* nobilitatem suspicite, è bombycis pensili busto contextarum, imò * *divitias potiùs literarum*, quas non vicenario numero admetiuntur (pauperis est numerare) sed nonnulla millia desiderant, idque utramque eruditionis paginam fecisse est, plurium literarum cognitione eminere: ita nunquam non ipsis discenda lectio est, & in noscitandis elementis repuerascendum.

Ad ostentationem scenarum aptior mutatio, quæ plausibus personant, quoties *Actor* iisdem aliam faciem induit, levi seriam, gravi ludicram.

Ego quod modò lararium vidistis, non ingrata forsan vice Delphicam instruo, non auro, non argento; at scypho ex orichalco nitido, raro cum ingenio parato, dein Vitro: hoc genio, illo ingenio vestro satis facturus.


Vitrum Lutheri. *Vitrum Lutheri* est, quod inter hilaritatis agapas quondam *Justo Jonæ* suo dono dedit; non materia magis, quàm fragilitatis humanæ hoc monumento splendidum:

DAT VITRUM VITREO JONÆ VITRUM IPSE LUTHERUS
UT VITRO FRAGILI SIMILEM SE NOSCAT UTERQUE.


Quo nunc & ipsi mihi excipiendi essetis, nisi inter jejunos siccare pocula vinolenti sit. Germanos insuper versiculos intu-


ATVITRUMVITREOIONA











intuentibus exhibet, venustæ brevitatis, nonnihil tamen aliquando supra mensuram trahentes:

Dem alten Doctor Jonas/
Bringt D. Luther ein schön Glas/
Das lehrt sie alle beyde fein/
Daß sie gbrechliche Gläser seyn.

Utriusque etiam faciem, quos amabilissimus amoris nodus semper in vita, hîc ars conjunxit; eo colorum non ineleganti temperamento, ut vel obtusa oculorum acie assequi liceat, animorum adfectum, & veluti stagnantem in vultu.

Vitrum cum *Scypho* commutamus: raræ hoc specimen industriæ est, ejusque elegantiæ, ut sculptoris omnem exhausisse artem credas. Næ, inusitato antea conatu, tantas res parvis lineis reperit non infimus numerorum arbiter *Christianus Heiden*, qui universum fermè cœlum brevi hoc compendio contraxit. Lineæ dignissimæ, quæ præ pulvere Mathematico metallum elegerint, quarum contemplationi quoties me dedo profundius, ita animum à sensibus externis emancipare possunt, ut *Archimedem* formis intentum, quas in pulvere describserat, atrocioris militis sustinuisse iram, non mirer. En manibus teneo pateram, cujus interior ambitus Arcticum ejusq; Zonam ostendit, *unde horrifer aquilonis stridor gelidas molitur nives*: Dein conjunctionum & oppositionum calamitates, tempestates ventorum, Lunam vel in cornua se curvantem, vel silentem, plenam, aut æquali proportione divisam sistit. Scyphus Mathematicus.

In fundo acum magneticam ejusque declinationes eleganter observamus. Altera pars singulorum quinque dierum spatium, Menses, dies festos & profestos, ipsásque horas artificiosè definit.

Hæc omnia, orbis tegit in plano stellas exhibens, quod *astrolabium* aliàs dicimus, plena his versibus margine:

ET QUANTUM ASTRONOMI PER CERTA MATHEMATA PRÆSTENT
ASTROLOGIS OPUS HOC QUEMQUE DOCERE POTEST.
EX HOC FONTE FLUUNT HOROSCOPA CUNCTA FIGURIS
QUANTUMVIS VARIET CIRCINUS ILLA SUIS.

Versa facies ſcalis *altimetris* ſuaq; fiduciæ regula inſtruitur, rotulis etiam mobilibus, horis nocturnis accomodatis, quas feliciter evolvemus, *ex motu ſtellæ fixæ primæ magnitudinis aurigæ, ſive Heniochi quam vocant capellam, alii humerū agitatoris.*

Cetera quoque quæ præſtat, ex Voto urgenteque officio meo vobis recenſenda eſſent, niſi orationem mea in his ignorantia præcipitaret, cui hactenus Mathematicorum cœlum nullo pennarum remigio involare licuit, imbuerentq; feliciùs alii judicio nos ſuo. Horologium reſtat, quod è dorſo inſtar Cylindri aſſurgit, cavitate ſua acum includens oblongam, perpetua inquietudine mobilem, quæ centro impoſiti vitri ſubjecta, Horizontalem rectitudinem, & tandem ex oppoſito ſolis tenenti, diei horam explicat, ad cujus ſimul pedem illud inculcatur: VOLAT IRREVOCABILE TEMPUS!

Et hactenus ſua quidem luce fulſit ſcyphi noſtri præſtantia. Quæ accendetur pleniùs, ſi, quid adſciti fulgoris acquiſiverit, penetraveritis, nobiliſſimam inclutæ BAUMGAERTNERORUM PROSAPIÆ puto memoriam, ita autem uti eſt, habete:

DN. HIERONYMO
BAUMGARTNERO. VIRO
OMNI VIRTUTUM GENERE
ORNATISSIMO. PATRONO SUO.
CHRISTIANUS HEIDEN. HOC
HOROSCOPUM. SUARUM MATHEMATICARUM OPERATIONUM PRIMITIAS DEDICATUM VOLUIT
ANNO MDLII.

Et

Et iterum:

CLAR. V. DN. HIERONYMO BAUMGARTNERO MECOENATI SUO FACIEBAT CHRISTIANUS HEIDEN NORIBERGÆ ANNO MDLII.

Ad hujus itaque gloriæ æternitatem hæc æra provocant. Imò

Hunc nec fata Virum, nec tollere celsiùs orbis
Vota queunt: cujus transverberat æthera virtus,
Inque Deûm foribus ſtat.

Meritoque gratulamur piis Manibus, pariter ac generoſæ Poſteritati, cujus quoties vultus confuſis admiratione oculis intuemur, reviviſcentem ATAVORUM gloriam, & in ſingulis uno amplexu, diſperſas Majorum virtutes, colligimus.

Sed fata rerum! Auſpiciorum opportunitatem! Qua & ſub TANTIS NOMINIBUS, & communi alacritate Veſtra, *Auditores omnium Ordinum ſplendidiſsimi*, defungi *ſuo* munere oratio hæc mea feſtinat. Quot ego vultus veſtros intueor, tot *Bonæ ſpei capita* videor aſſecutus. Accipio omen, & portum hunc non tam Oceani, quam votorum omni cura teneo. Neque enim pœnitentiam facti *Scipionem* ſubiiſſe legimus; qui aperientibus ſe paulatim Africæ littoribus, quæ proximæ terræ eſſent, percontatus, cùm *pulchri promontorium*, vocari audiret, placet omen, inquit, huc naves dirigite!



ANNOTATIONES.

Ad Pag. 11.

* *Vertamur in orbem*) O jocularem religionem inquis? At nullo pudore fit, quod probat consuetudo. Hæc veterum Rhodus, hic saltus erat: Caput torquere, crinem rotare, totumque circumagere corpus, ut sentirent se pios: προσκυνεῖν quidem περιστρεφομένους Numam edixisse, autor est *Plutarchus in vita*: cujus cum rimatur causas, εἰ μὴ νὴ δία, inquit, τοῖς Αἰγυπτίοις τροχοῖς αἰνίττεται καὶ διδάσκει παραπλήσιον ἡ μεταβολὴ τοῦ σχήματος, ὡς οὐδενὸς ἑστῶτος τῶν ἀνθρωπίνων, ἀλλ' ὅπως ἀναστρέφῃ καὶ ἀνελίττῃ τὸν βίον ἡμῶν ὁ Θεὸς ἀγαπᾶν καὶ δέχεσθαι προσῆκον. h. e. Profectò, Ægyptiis rotis simile quiddam mutatio illa habitus significat, docetque quasi nihil ex humanis rebus stabile & firmum sit, sed utcunque vertat Deus, revolvatque vitam nostram, id jucunde ac libenter admitti conveniat. Piè!

Inter hanc quoque venerationem se convertentem Camillum, prolapsum cecidisse scimus, Deos precatum, ut si cui eorum nimia sua fortuna videretur, eam invidiam lenire quàm minimo suo privato incommodo, publicoque P. R. liceret. Liv. V. Annal. Quò num commodè satis Vir doctissimus T. D. illud *Claudiani* rapiat:

Quis meliùs vibrata puer vertigine molli
Membra rotet?

S. P. Q. Literato relinquo, qui mihi obsequii gloriam.

* *Oscula liminibus*)

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.

In quæ *Tibulli* ita *Turnebus*: *Hoc, ut opinor è Romanorum moribus dictum est, qui religionis aliquid liminibus & postibus tribuebant. L. XII. Adv. c. 5.* Procubuisse autem ad limina, adorantium more, vel *Patria valedicturos* comperior; ita enim *Charinus in Merc.*

Limen superum inferúmque salve simul atque vale.

Vel *in amoris negotio*, ea morum elegantia, iis argutiis, suos ignes, singultus, amores, adolescentulis commendaturos procos. *Sagitt. de Jan. Vett. Cap. 37. §. 9.* Honoris denique & *religionis stimulo: Prud. in hymn. Laur.*

Aposto-

Apostolorum ac Martyrum
Exosculantur limina.

Et apud *Valer. M. l. 2. c. 5.* Fores Scipionis venerabundi converrunt osculis prædones. Item *Rex Prusias* Curiæ Romanæ limen, *orationem non tàm honorificam audientibus, quàm sibi deformem habens. Liv. 45.*

* *Ungues cohibe*) Moderanda in publicis thesauris digitorum licentia, qua rebus ætate infirmis, quid non intertrimenti fit? Rectiùs manus Chirothecis, aut quibuscunque sui juris finibus continebit pudor, si non magis res illas nos capiamus, quàm nos illæ. Clusium itaque Janum potiùs, quàm Patulcium volumus manibus oculatis, nihil credentibus, nisi quod vident, premunt, explorant. Imò

QUISQUIS ES HOSPES
TIRO ESTO MANUM APUD TE HABENS
SI EFFERS AD TACTUM AUT AD RAPTUM
VERBO DICAM
TE EFFERTO

Quod ad limen *Lipsiani* horti antehac edictum est. Cujus documento abesse quoque incontinentes manus jubet Nobilissimus *Athenarum Noricarum hortus*, in quem si penetraveris, rogabis cum Gentili Deos, totum ut Te faciant nasum. Sic autem ad fores:

HIC NATURA PARENS TOTO QUOS PARTURIT ORBE
FLORES FERT OCULIS: QUEIS LEGE, NON MANIBUS.

Et iterùm:

HOSPES AMICE ADVENA
QUI HORTI AMOENITATE
CUPIS OBLECTARIER
MODESTIAM ET CONTINENTIAM
COMITES HABEAS
FLORÆ CUSTODES.

* *Coram milite laureato*) Ut eandem virtutem odimus nonnunquam & miramur, ita S. P. Q. R. aliis majora gratiæ, quàm rerum gestarum magnitudini dederunt, alios triumphi hâc, illâ gloria dispoliarunt; hinc aliæ atque aliæ triumphantium ostentationes: aurum, purpura, signa, tabulæ *Flor. l. 18.* Funalia, Tibiæ *II, 2.* Vasa argentea, cælata, coronæ aureæ, dona sociarum civitatum. *Liv. 37.* Signa militaria, oppidorum simulacra, eburnei dentes. *Ibid.* Hostiæ, signa ænea, catapultæ, balistæ, omnis generis tormenta. *Liv. 39.* Statuæ *l. 8.*

Carpenta, torques. *l. 36.* Epulæ ante omnium domos extructæ *Flor. l. 3.* Inprimis captivi, *documenta humanorum casuum*, speciem triumpho præbebant.*Liv. 34.* Laurea autem vinctos milites*Festus* vult *de V.S.* ut quasi purgati à cæde humana intrarent urbem. *Blond. l. 10.* Qui etiam triumphum nomine ciebant. *Liv. l. 45. His verò omnibus, quid aliud victores agunt, quàm dum suum decus extollunt, addant gloriam victo?*

* *Quadrato saxo substructum*) *Lipsio* hic animos ac mentes adhibebimus, operæ pretium facturi, cui nunc audientiam facio. *Narrat hoc Livius l. 6.* inquit, *post Romam à Gallis captam, & cùm ea instaurata à civibus fuit. Ergóne tunc denique Capitolium saxo quadrato structum? nego de ipso ædificio, fateor de monte: itaque attende, substructum dicit non extructum, de Magn. l. 3. c. 5.* Rem acu! Neque enim nulla ratione factum, aut sub manibus demum *substructionis vox* nata Livio, quam hic lapidum congestus propriam habere videtur. Ita & *Cicero & Plinius* insanas Capitolii substructiones mirantur. *l. 36. c. 15.* Quas in mustea hujus arcis delineatione *Justo Rycquio* adjecta, sculptoris industria eleganter expressit. Non autem quadrato tantùm saxo Capitolium nitebatur, sed tota facies quadrata undique fuit, idque è natura templorum omnium fuisse, non sine asseveratione magnus *Gutherius* affirmat. Næ, templa *Lycaonii*, *Mammeæ*, *Vestæ*, *Herculis*, *Cybeles*, & *Pantheon* fermè omni ex parte, rotunditatis convexione conclusa fuisse, testes laudare possum maximos, quos, se non audivisse sed vidisse, non opinari sed scire, certum habeo dicturos. Quæ omnia venustè exhibet. *J. Laurus in Antiq. Urb. Splend. p. 29. 30. 31. 32. 43.* Cui addantur *Maravigl. di Roma, p. 84. Et J vestigi dell' Antichità di Roma da Stef. du Perac. Parasino. p. 35.*

Ad Pag. 12.

* *Innocens cœlum*) Cur enim sanguine hos ignes pasci dicamus, quibus nutriendis, stipendium quasi de publico statuit provida natura. Imò faciamus cum *Cardano* globum in cœlo constitutum, solis luce ardentem, *l. 4. subtil.* quod *Burseri* etiam calculum meruit, *in Introd. ad Scient. Natur. P. II, 13.* utut alia omnia *Sennertus*, *l. 4, 2. Phys.* Nihil in hoc globo portenti! Aut concinnemus è materia duplici, altera terrestri, cœlesti altera, massam, quam cum *Campanella*, illustrari vult *Barthol. de Com. p. 32.* Nihil hîc damni!

Vel

Vel denique deducamus hæc corpora è ſubſtantia pellucida, alicubi deſcendente. *D.Chriſt. de Com.p. 31.* Salva adhuc poſſunt ſtare omnia! Quas itaque malorum adſtruamus cauſas, niſi forſan arripiamus, Cometas, neſcio quæ ſtellarum comitia eſſe, quorum conſultationes, maximo ſæpius in mortale genus discrimine promanent: quem etiam antiquum animum miror è *Democriti* ſchola, *Aldrovando* manſiſſe. *Hiſt. monſtr. p. 728.* Nec ſine ſibilo abeunt *Polydoro Virgilio*, *Gisb. Voëtio & Andreæ Libavio* (qui aſſumta perſona *Baſilius de Varna* eſſe vult) annorum inde *neceſſaria* fata evolventes. *Certè nondum perſuaſit rerum eventus, quoties Cometa perfulſit, toties conſecutas, veluti ancillatas juratasq; pediſſequas calamitates: at verò felicitates?* Audet id *Vincentius Guiniſius. Alloc. 6.* Quem tranſire ad eorum ſubſellia videmus, quos *J. Boſius*, ὁ πάνυ, recenſuit in ſuo *de Cometarum ſignif.*

* *Abacus ligneus*) Quæ ſuperius de hoc fecimus, ea lege accipias B. L. ut à nobis quaſi manumiſſus, eas quam voles in ſententiam, *liber eſto*: Ceterùm de vario abacorum uſu, nomine, ornamentis, utramque ni fallor paginam faciunt *Urſinus in Ciac. de Triclin. Turnebus l. 11. c. 3. & l. 26. c. 3. Rhodiginus l. 4. c. 6. & 30. c. l. 13. c. 12.* Et *C L. Salmaſius in Obſ. ad Jus A. & R. Cap. 23. p. 456.* Nonnemo è marmore tantùm abacos adornaſſe Veteres vult: imò verò & ligneos, è Thujæ inprimis radice, è qua pretioſiſſima edolabant opera, tanti æſtimata, ut fœminarum luxui tributa imperantibus maritis, hæ regerere auſæ ſint, *& in menſis non minus inſanos ſumtus fieri.* Joh. Gorop. Becanus in Vertum. *p. 79.* Argentea autem abacos plerumque ſupellex ornaverat, quasque ſibi gula erigere pyramides ſolebat.

* *Regiomontanus*) Dignus ea Apotheoſi, cujus quod mortale fuit Pantheon reciperet, quo abſente deeſſe adhuc aliquid videbatur nominis veritati. Quàm magnificè autem ſentire de eo Viri ſummi certent, vel ex *Jovio* palam erit in Elog. Vir. Doct. p. 218. Cui *Gaſſendum* ſubjunge in vita. *p. 365.* Me *Bartaſii* nonnulla attuliſſe juvabit, *l. 6. Hebd. p. 219.* quæ niſi adſcriberem, injuria fieret curioſis ingeniis. Ita verò ille, *Interpr. Lerm.*

-- Nam quid Te, turget quo cive Tarentum,
Archyta memorem, quid, quam das arte columbam,
Pondere quæ librata ſuo per inane vagata eſt,
Quid memorandum æque longiſſima ſæcla tulerunt?

Ac aquilam, nostro quam Teuto vir edidit ævo:
Illa manu docti porro dimissa Magistri,
Ivit in occursus Regis Romana tenentis
Imperia. Unde loci subito conversa per auras
Agmine pennarum, Regem comitatur ad alta
Tecta Norimbergæ, cui non pendentia longis
Atria porticibus, non ardua mole theatra,
Non qui fulminei passim de turribus altis
Dissultant crepitus, juvenum non ardor ovantum,
Longævique senes tantum decus addere visa.
-- -- -- -- -- -- --
O præstans animi virtus, atque æmula divûm
Dextra, potis brutis vim tantam innectere membris.

Quæ quidem Aquila, tanquam è vinculis ex Urbe simul & Annalibus evolavit. At si amtestari licet, aures probè teneo P. *Rami*, hujus famæ non incerti auctoris. *l. 2. Schol. Math.* in quem etiam hac in causa *Bonifacius in hist. ludricra* exclamat: HÆC TU PETRE RAME IN * TUORUM LAUDES. *l. 18. c. 2.* Hunc postea secuti *Gassendus* in vita, *Jonst. de N. C. P. V. Art. 3. m. 6. Baldus* in discursu, quem præmisit Heronis Alex. Mechan. *Relig.* Medici *Commentator. Sect. XIV. p. 84.* Et ex omnibus *D. J. Andr.* securus hac in re est, *Menip. Inst. mag. p. 219.* At hi omnes, quo altiùs Regiomontani artem in hoc ascendisse credunt, lapsu graviore ruere videntur *Cl. Ruperto in Valer. diss. Polit. c. 7. & 8. §. 17.* & Immortali *Casp. Hofmanno, de Usu Part. §. 193. p. 61.* Quo etiam famæ joco Typographiæ auctor aliis habeatur, ostendit Doctissimus Mallinkrot. de hac arte, *p. 75. Cap. XI.*

*Cur, Tuorum?

Ad Pag. 13.

* *Nominales*) Vereor, ne si reducem *Alanum* Natura pateretur, oscula regia denuò sumturum, ille in se audiat:

Ibis Alane foras!

Adeò *Scholastica* sapientiæ expiravit hodiè gratia, quæ acerbitatem ingeniis ita infudit, ut vix eruditus esse queas, nisi iracundus & ferox: hinc tot Philosophica bella, tot prælia, quæ non sine cura observant *Aventinus l. 6. Annal. p. 497. Hornius hist. Philos. l. 6. c. 5. Ludovicus Vives de caus. corrupt. Art. l. 1. p. 70. Erasmus l. 23. Ep. 7. & in præfat. milit. Christ.* alii. Inprimis autem *Nominales* & *Reales* in perpetua pacis delapsi sunt pericula, quod *Nominales* (antea Occamistæ) contra

contra *Reales* (Scotiſtas) defenderent, Univerſalia, mera eſſe nomina, non res. *Horn.l.c.* ad quam ſi deſcendiſſent arenam, adeò fervebat Scholaſticus ſanguis, ut ſuis concludi venis impatiens, viam quæſiverit, quam vel alapæ fecerunt.

* *Acerram*) Thuri pio, votivo, ſacro, &c. certa vaſa deſtinata fuiſſe, nunc in manibus tenemus. Cave tamen confundas, thuribula & acerras, thura quippe ex acerris prolata, vel adolebant in thuribulo, vel ingerebant focis. Quod benè monet Kippingius *in Antiq.Rom.l.* 1. *Cap. XI. p. 256.*

* *Lacrymarum receptaculum ajunt*) Mœſtitiæ præcepta Romanos ceteris mortalibus dare poſſe, non fruſtrà exiſtimaveris. Non enim funus ſubeuntes in eo acquievére, æqualibus ſpatiis ad longiorem Pompam dividi; diſtinguebantur inſuper neceſſariorum manus vasculo, dolori ſacro, aut lacrymis potiùs, adeò doctè inter cereos pullóſque ornatus manantibus, ut ipſum dolorem in ſpectaculum prodire crederes: qua quidem lacrymoſa ſcena, ut nihil hodiè famoſius, ita de eo Antiquitatis conjuratum ſilentium experior, ut hac in cauſa, Judicem Arbitrumve poſtulare, ſit περὶ φρέαρ χορεύειν. Appoſitas tamen chariſſimo cineri lacrymales ampullas, *Lapidum fide* accipite: Quid enim illud, poſuit cum lachrymis? cum lachrymis & opobalſamo condere? *Caſal. P. 2. c. 21. de urb.* Quid illud: Tumulum lachrymis plenum dare? *Guth. de J. M. l. 1. c. 28. p. 173.* Hinc *Romæ:*

ULPIAI SCITAI PILUMENAI
CONJUGI B M P
ÆLIUS MACER ANTESI
GNANOR. TRIB.
LACHRYMAS POSUIT

Eſt ni fallor è veteri formula, aut hoc teſtium ſatis, aut neſcio quid ſatis ſit. Pertinebit ad argumenti tùm dignitatem, tùm evidentiam, plura nunc preſſo veſtigio perſequi. Erant enim illa vaſcula aut teſtacea, *Chifletius ver. exeq. ritu p. 29.* Qualia & in Miſnia eruit *Albinus*, cujus Chronicon vide. *p. 179.* Cujus nunc opportunè memor, neſcio quid l. c. ſibi velit, à nonnullis *Plendiſteria* dici aſſerens? quæ vox cujus aut familiæ aut matris ſit, non aſſequor. Quid ſi πενθηλήεια, voluit dicere, ἀπὸ τοῦ πένθεος? Quod equidem ἄκρῳ δακτύλῳ ἀπογεύεσθαι ſatis habeo. Vel etiam Vitrea erant *Joh. Smith. de Oppid. Batav.*

Batav. C. 4. p. 31. Fabric. in Rom. p. 198. Aringh. in Subterr. l. 2. p. 278. D. Geier in Lug. rit. cap. 12. §. 5. p. 271. eaque opali in morem plerumque ſplendentia *Muſ. Septal. C. 22. p. 57. & 58.* Quali me oppiparè muneratus Vir *Nobiliſſ. D. J. G. Volckamerus*, ut eſt Viri Summi expoſitus planè ad benemerendum animus: hunc, quamdiu habebit Noriberga noſtra, habebit & Germania, quem inſolentis Angliæ, Galliæ ac Italiæ opponat ſupercilio. Si Scaccho fidem adhibere placeat, ad lacrymas ſervandas unguentario etiam vaſe uſi. *Myroth. 1. Cap. 47. p. 461.* Si *Caſalio*, non condebant ſolùm propè cineres, quod una cum conditorio eleganter exhibet *Raderus in Mart. l. 1. Epigr. 93. p. 176.* Sed vitris quoque lacrymalibus inſtar infundibuli, tenue foramine perviis, ſubinde, jam conditis cineribus, rorantes queſtus inſtillabant. *de Urb. P. 2. Cap. 21. p. 351.* Adeò nempe mirari magis licet discrepantes in ea re autores, quàm quid veri discernere. Forma iis, quot quot ferè mihi exhibuere Muſea multò nobiliſſima, oblongior erat inſtar digiti indicis, patulo ore & incurvo nonnunquam, ea conſenſus elegantia, ut quid de noſtro ſentiam, vix habere poſſim, & forma & materia & magnitudine in contrarium euntibus. *Vid. Monum. Illuſtr. p. 3. Scacchus l. c. Kircherus Syntagm. 12. Cap. 3. p. 385.* Cujus Oedipum, quàm in hoc, Davum non magis vidi. *Olaum. Worm. l. 4. rer. var. c. 1. & 7. p. 347. 362. Cotov. in Itin. Hieroſ. Cap. 10. p. 50. Caſal. l. c. Aringh. Rom. ſubt. l. 3. Cap. 22.* Si quid tamen edicendum, hæc notanda exiſtimo: Primò: *Romam* hoc vaſculum non agnoſcere poſſe, cum *Orientis* eſſe videatur, quod Virorum φιλολογωτάτων etiam admonitu perſuaſiſſimum mihi eſt, & utinam his veſtigiis ad rem propiùs accedere liceret. Deinde, lacrymatorium tamen eſſe poſſe, quamvis non Romanum: notamus enim Ægyptiorum cum Romana Gente, hujus ritus conſpirationem, eo ipſo vaſculorum diſſenſu, quo noſtrum hoc à Romanis abeſt. Itaque cum ſit *Orientale*, quod facilè obtinebimus; dein lacrymale; *eo enim nomine à manu in manum hactenus datum eſt*; pronuncio; eſſe vaſculum lacrymale Ægyptiacum, quale *Aldrovandus*, operoſiſſimus & conſummatiſſimus rerum harum indagator, in *Muſ. Metall.* pulchrè deſcribit, ne colore quidem à noſtro alienum:

In quibus ſi erro, fateor me errorem errare adhuc.

Ad

Ad Pag. 14.

* *Lucernæ*) Ut non ſemel, quod modò oſtendimus, ita in Lucernarum quoque uſu in *Ægyptiorum* ſe mores transformaſſe Romanos, Illuſtris Patini, cum aliis, mens eſt. Quos primas lucernas accendere, tenebrarum in nocturnis ſacris pellendarum neceſſitas docuit: re deinde in religionem verſa, Deorum ſimulacris apponebant, vel iræ placamina, aut ſpe futura conſequendi; tandem ſepulcris etiam adhibitæ, vel divinitatis ſymbola, vel ad animæ perpetuam illuſtrationem, quod Ebræorum filiis נר נשמה præſtat. Ab illis dein Chriſtiani pariter lucernarum uſum mutuati ſunt; quorum ut à Gentium Lampadibus diſcernas rectiùs, obſervarunt harum rerum Viri ſtudioſi, P. aut X P. inſignitas eſſe, manifeſto Salvatoris omine. Quod æternitatis aut fomitem aut pabulum attinet, ego huic igni, omni agilitate manus ſubduco, ne demorſos ungues expectantibus oſtendam aduſtos, idque fiet fidentiùs, quò magis jam hæc & *Ariſtophanis & Cleanthis* olent Lucernam; *Liceti* puto & *Ferrarii*. Illud prætereundum mihi non eſt, eſſe, qui in hac arte cenſum potiùs quàm meritum quærens, ingenio ad quæſtum magis quàm ad gloriam facto, edocturum ſe dedit, olei incombuſtibilis conficiendi rationem, è triplici ſulphure, minerali, vegetabili & animali, per ignem cabaliſticum ſive æthereum Solis & Lunæ (auri & argenti) ſine aëris admiſſione accendendi &c. Sed, quod rerum omnium eſt primum, quærenda pecunia homini metallico, cui *Virtus poſt nummos*. Ἄσβεστον aliàs hîc multum poſſe, perſuaſiſſimum iis eſt, qui rei miraculo experientiam adſtruunt. Nec dubitat *Kircherus*, illi æterni luminis inventum polliceri, qui oleum ex ἀσβέστῳ elicuerit, h. e. *è pumice aquam. Mund. Subt. Sect. 3. l. 8.* At niſi ſpecioſior verbis, re inanis videri velit, accendat lucernas ſuas curioſo Orbi, quem eo felicem eſſe oleo, jam pridem corrivalis ejus *Schottus*, ſua fide ſanxit. Hùc illud *Marbod. Galli* pertinet. *Cap. 7. Dactyl.*

Stuck. de Sacrif. p. 106. & 107.

Buxt. in Synag.

Arcadiæ tellus lapidem producit Abeſton,
Ferreus huic color eſt, natura mira poteſtas.
Nam ſemel accenſus, conceptos detinet ignes,
Extinguique nequit, perducens perpete flamma.

Imò adeò perenni ut, extingui amplius nequeat, ſi *Mylio* credimus *l. 4. Baſil. Chym. Cap. 20.* Incendii autem hujus artificioſa ratio eſt, radiis ſolaribus in ſpeculum collectis. *B. Cæſius. l. 4. p. 1. c. 3. Voſſio* aqua Chymiſtica placet. *Cap. 9. de Philoſoph.* quæ *Barbaro in Dioſcorid. cœleſtis eſt, Democrito modo Scythicus latex, modo* πνεῦμα.

Loquuntur autem plures, plura in hac causa, quam audent. Si tamen quisquam, certe sua se fide egregiè exsolvit *C. Schottus in Mag. Pyrotechn. Cap. 6.* Cui addantur, *Scardeon. Antiq. Patav. l. 1. & Ruscell. le Impresse Illustri libro secondo, Parte second. p. 77.*

Mihi in ratione reddenda nonnullarum, quas supra recensuimus, literarum, paucis adhuc laborandum; & quidem nescio quæ me sustineat confidentia, animum ex metu ut sumam. Utramque autem si inspicio lucernam, ubique est, quod omnibus vestigiis inquiram. *Prima*, has ostendit LUCIM. Quid meus præsagiat animus, si risum continueritis, dicam trepidè: ut autem laudem inde nec venor nec auguror, ita Correctionem non deprecor, imò provoco. Itaque LUCEM apprecari defuncto, necessariorum curam voluisse crederem, si cur & vos credatis afferre possem. Certe I & E mutuas apud Vett. subiisse vices, novum non est. *Voss. de permut. lit.* Aut si hujus vos pœniteat argumenti, dicam audaciùs: Lucernam IMmortalem inscribere voluisse antiquitatem, more suo truncatis verbis, plura enim spacii brevitas non admisit. Joculare illis argumentum, qui has lucernas non agnoscunt, at palmarium assertoribus. *Altera*, ut amplior est, ita literis ditior, EX OF JUSTI habet. Num Ex OFficina JUSTI? Ita figuli FORTIS nomen *Smithii* Lucerna præfert, quam exhibet *in Noviom. p. 31. Et Ursatus Monum. Patav. l. 1. Sect. 3. p. 150.* Quid si Ex OFficio JUSTI, hunc ignem positum, aut Ex OFficio JUSTA facta esse testetur. Tu, si potes, meliora!

* *Cum cineribus manentes*) Hanc Veteribus de animæ post mortem statu fuisse mentem, *Boxhornius* innuit *Quæst. Rom. XI.* Quod planè illa *Ammonii in Porph. c. 1. col. 3.* videmus velle: *Animi*, inquit, *qui quadam corporis cupiditate ducuntur, post corporis interitum, in corpore, amore persistunt, in monumentisq; ut ferunt versantur.* Et sequentia Poëtarum: Ita enim apud *Nasonem* Medea, omnes nemorum, noctisque DEOS evocans, quid horum ope sæpiùs præstiterit enarratura, *infit. 7. Metamorph. v. 200.*

Quorum ope, cum volui, ripis mirantibus amnes
In fontes rediere suos: concussaq; sisto;
Stantia concutio cantu freta, nubila pello;
Nubilaq; induco: ventosq; abigoq; vocoq;:
Vipereas rumpo, verbis & carmine, fauces:
Vivaq; saxa, sua convulsaq; robora terra

Et

Et silvas moveo: jubeoq́ tremiscere montes:
Et mugire solum, manesq́ exire sepulchris.

Et *Maro l. 3. Æneid.*

Animamq́ sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Nec displicent V. CL. *Olao Borrichio*, quæ *Servius* in hunc locum observat; Ipsos Ægyptios ea potissimùm causa, medicata cadavera (quæ Mumias dicunt) confecisse, quò anima in defuncto corpore constantiore fœdere hæreret, nec corruptionis graveolentiâ in bestias emigrare cogeretur, neque enim Ægyptiorum μετεμψύχωσις, (aut potiùs μεταγγισμὸς) aljus erat, quam τοῦ σώματος καταφθινοντος, id est, corporis putrescentis. Et hinc etiam procul dubio, in officiosus ille peregrinantibus Tattarorum error manavit. Qui ea religione ducti, in plerosque hospitum, aut genere, aut animi donis, aut etiam corporis robore nobilium, crudeli manu sæviebant. Credentes, horum animas, non sine felicitate, secum habitaturas. *Vid. Licet. l. 2. c. 56.*

Ad Pag. 15.

* *Carceris lapillos*) Carceris hujus è plerisque S. Terræ Scriptoribus memores reperio paucissimos, ut injurato etiam *Zvvinnero* crediderim, parcè admitti hospites. *Itin. l. 2. p. 216.* Præter hunc enim *Leonh. Rauchvvolff. Sanutum Torsellum, & Joh. Werli à Cimbr.* aliosque perpaucos habemus, quamvis hi ipsi rei narratione in discordiam agantur. Ostenditur autem in ædibus Pilati.

* *Visitavit Elisabeth*) Elisabethæ domicilium, quo Virginis matris adspirabat iter, *Saligniaci* temporibus videbatur adhuc non sine religione adventantium, ad quod fons B. Virginis aquas profundebat, quas hauriret. Cujus supra vidimus reliquiarum reliquias.

* *Agro sanguinis*) הקל דמא *Act. 1. 19.* ager figuli quoque dicitur, quòd hic vasa sua coquerent, ita R. Samuel, Lyra, Hugo, alii. Vel à possessore, aut argilla fingendis vasis idonea. Muro hodienum circumscribitur, tectus testudine septem foraminibus, (aliis novem) pervia, quibus defunctorum corpora immittuntur. *Salign. T. 6. c. 5. T. 10. c. 1.* Non autem nisi peregrinos eam terram admittere ajunt; ut cùm CC LXX. naves, quantum capiebant hujus terræ, Romam avexerint, ibique ad Vaticanum montem ex

oneraverint, (quod hodienum Campus ſanctus vocatur) eâdem naturæ conſtantia incolas reſpuat, peregrinorum autem ſubſtantiam XXIV. horarum mora, avidiſſimè derodat, quod cum *Comite Alexand. & Johan. Solmens.* obſervat *Adrich. p. 173. Confer. Cheitomæum. p. 22.*

* *Siloë*) Saracenis in pretio hæc unda, qua odorem juvant graviſſimum, eam alieno naſo exhibentes moleſtiam, ut allium oboleas libentiùs, aut eos, *qui in culina habitant.* Quanti quanti enim ſunt, hircum olent. Hinc meritò hircorum ſocii.

* *Thabor*) ὁ ἐπίγειος οὐρανὸς, τὸ τῆς ψυχῆς ἀγαλλίαμα. *Terrenum cœlum, & animæ oblectamentum. Joh. Phocas in S. Locis.* §. 11. Næ, ut conſcendentibus voluptatem omnia facerent, nihil prætermiſit natura. Hinc loci deſiderio exardens Petrus, tabernacula popoſcit; quem ne votum falleret, precibus ſatisfecit poſteritas, utut præter ruinas hodie nihil deprehendant ii, quibus eas adire terras datur.

* *Sion*) Mons alta ſemper nive càndidus, hieme adeò non ſeneſcente, ut delicias gulæ facturi Tyri incolæ, hac æſtiva pocula temperarint. *Hieron. in loc. S.* Hodie jure civitatis gaudet, quem olim mœnia excludebant. *Willebr. ab Oldenburg. apud Allatium.* A parte urbis Aquilonari, ædificia habebat *Regiam, Domum Asmonæorum, & Xyſtum, pontem etiam Templum Sioni conjungentem.* Quorum quamvis ruinas à parte urbis auſtrali peregrinantibus oſtendant, nihil moratur Cl. *Lightfootus, ita enim Ille in Centur. Chorogr. Cap. 23. p. 49. cum ſatis pateat, eos in pleriſq; aliis hallucinari, extraq; omnem controverſiam ſit, eos non tam veritati in iſta re ſtudere, quàm ſibi ipſis lucrum venari.*

* *Ovum Galli*) Faveant fidei noſtræ in diverſum tendentes, quos turmatim rejecto capite, illud ingeminare vetus audias: *cras credo hodie nihil.* Cum quibus vix rationibus ampliùs utiliter pugnaveris. Prope fidem certè res *Lemnio* eſt, *l. 4. de Occult. rer. mir. Schotto Phyſ. Cur. P. l. c. 9. p. 995. Jonſtono Cap. 17. admir. avium, aliis.* Nec morantur in contrarium euntes, qui quamvis diverſi rationes, diverſa producant fronte, vultus tamen omnibus unus. Pleriſque enim hîc illud *Phyſicorum* militat: *locum ſuo locato non reſpondere*, neque in Gallo ullum eſſe, qui aut continendis ovis,

aut

aut conſervandis ſufficiat, quo uteri dignitatem urgent, ejusque in Gallo abſentiam, in qua ſanè ſumit potiùs quàm habet adverſa pars præſidium. Dediſcendum enim eſſe, extra uterum nullam dari fœtus aut ovorum officinam, *Deuſingius* perſuadet, ex cujus mente gurguſtium hoc, præter calorem & loci commoditatem nihil confert, neque eum hactenus aut experientiam, aut rationes videmus deſeruiſſe. Næ, ſtomachum aut ventriculum aut inteſtina etiam uteri vicem nonnunquam ſuſtinuiſſe, non dubia indicia perhibet *Barthol.* qui feli ore fœtum fundenti, ſi rectè memini, adfuit ipse. *Cent.* 1. *Hiſt.* 99. *adde Cent.* 5. *A.* 98. Jam verò haud difficulter, dum in deſueſcenda Venere occupatur Gallus, ſeminis collecto coagulo, inque ovum coeunti, tantillum ſpacii locabit natura, quæ in fele, aliisque potuit, numeroſæ proli.

Ad Pag. 16.

* *Folliculum fellis*) Genuinæ hæ microcosmi Latumiæ ſunt, imò perpetuæ. Tantum enim abeſt, ut omnes à calculorum injuria metum removere poſſint, qui nullam ſentiunt: ut potiùs in plerisque inventu facile eſſe credam, omni apparatu comportatorum acervus: ſi medicorum manus aut examini ſufficerent, aut nos pateremur. Nec in his membris ſtetit hactenus doloris moleſtia, quæ etiam cerebrum penetravit. *Kentm. de Calc. p.* 1. Extremitates digitorum invaſit *Jd. p.* 20. Linguam affecit *Seidel. ad Barthol. Obſ.* 3. Quorum exempla haud parca manu admetiri poſſem, *è Barthol. Hiſt. animal.* 57. *Borello. c.* 2. *obſ.* 22. *Forrez. l.* 14. *Obſ.* 26. *& aliis.* In arteriis quoque inveniri, primus curioſo Orbi detegere ſibi videtur *Tulpius Obſerv. Med. l.* 2. *Cap.* 25.

* *Ratione expertium*) Vidi, qui ſues calculis infeſtari probent; novi qui equorum oſtendant; boum, Columborum, Aſinorum, *Aldrov. Muſ.* exhibet *l.* 4. *p.* 793. addo huic *Calceol. Muſeum Sect.* 3. *p.* 404.

Ad Pag. 17.

* *In homine deſiit*) Exemplis ſi animum adhibeamus, inter alia pedis meminit. *Calceol. Muſ. Sect.* 3. Ea elegantia in lapidem elaborati, ut niſi oculos ſequantur manus, omni pignore contenderes, ex recenti hominis compage decerptum eſſe. Quo exemplo ingentia quoque humana corpora reperiuntur obriguiſſe: qualia inter multa elegantiora *in Analectis miſcell. menſtr.* obſervat *Matthias*

Zimmermannus. Mens. I. §. Ll. p. 58. E brutorum, quæ ſcio, documentis, illud arietis mihi caput placet, ut erat cornibus, fronte, auribus, maxillis, lapideum; villum etiam omni mento, boni ponderis arunco, *quod idem Muſ. l. c.* deſcribit.

* *Ollam veneni impatientem*) Nobilis eo nomine *terra Lemnia* eſt, admirandarum in venenum virium, quam quotannis 6. Aug. die ea religionis cura eruunt, ut *totius Inſulæ primæ autoritatis Viri, tùm Turcæ, tùm inprimis Græci Sacerdotes, in ſacellum nomine Sotira, conveniant, celebrataq; græco more Liturgia, precibus fuſis, omnes ſimul comitantibus Turcis collem (qui à ſacello, gemino teli jactu abeſt) conſcendant, ac L. autem LX. viros ad fodiendum adhibeant, quantum in illum annum ſufficiat. Bellon. Obſ. l. 1. Cap.* 29. Maxima tamen pars Imperatori Turcarum defertur; reliqua mercatoribus proſtat, & prece & pretio. *Montani* inventu, Terra Sileſiaca Strig. eadem virtute utimur, ut etiam Lemniæ præferri, *è Sennerto* didicerim. *Scient. Natur. l. 5. Cap. 5. p. 372.* Celebre quoque Melitenſe vaſculum *Septalii* eſt, quem natalem * humum,
* Maſc. Livius.
noſtrum quoque agnoſcere, ſi quis affirmaverit, nec alienum me, nec adverſum habebit.

* *Murrhinis & Onychinis*) Lites, quas de Murrhinis hactenus intendebant adverſæ partes, redimunt, in omnibus ad palmam nati, *Voſſius & Salmaſius.* Quibus falſus omninò *Plinius* eſt, quod è Murrha humore ſub terra concreto, faciat. *l. 33.* Quod ipſum, *Iſidorum in Orig.* à veritatis via removit, *l. 6. c. 12. Duzæ P.* ſententia, nullus veterum melius expreſſit, quid hæc pocula ſint, quàm *Propertius, dum ita:*

Murreaq; in Parthis pocula cocta focis.

Prona ſanè ad verum mens *Voſſii* eſt, qui ſimilia eſſe illis, quæ ex ſignino cocto apud Sinas fiunt, & nobis (ni fallor) *Porcellana* dicuntur, quibus pretium fragilitas facit. *Murrhina & Onychina*, quæ aliis unam eandemque ſpeciem faciunt, *Lampridio* præeunte, disjungere potiùs quàm componere volui, *eſt enim in illa opinione prorſus nihil veri. Salm. exerc. Plin. 562. 203.* Hinc autem procul dubio factum, ut gemmea etiam dicerentur pocula, aut potiùs, quod *murra* pro *gemma* antiquitus diceretur.

Ad

Ad Pag. 18.

* *Prava Religio*) Ita *Livius, ut nostis, l. 27. Ex Campania nunciata erant, Capuæ duas ædes, & Martis & sepulcra aliquot de cœlo tacta: cum iis (adeò minimis etiam rebus, prava religio inserit DEOS) mures in æde Jovis aurum rosisse, &c.* Alii libb. Parva religio, sed perperam: quod MS. codex Bibl. nostræ, tùm etiam sensus necessitas evincit.

* *Cornua Dianæ suspend.*) Veterum inquam hic mos est, quem inter templorum Ornamenta refert *G. Stuckius de Sacrif. Gent. p. 62. B.* Hujus verò consuetudo inde manavit, quod Diana manifesto argumento, se hominum sanguine non pasci, non delectari nec perfrui velle ostensura, Iphigeniæ in locum, sibi jam sacrificandæ, cervam supposuerit. Hinc in omnibus Dianæ templis, *cervorum cornua.* Quo ergo errore in Aventino monte, hujus DEÆ fanum, non cervi sed bovis cornua accepit? Nempè, *Bos in Sabinis nata cuidam Patri familiæ dicitur, miranda magnitudine ac specie; habita, ut erat, res prodigii loco est, & cecinere Vates, cujus civitatis eam cives Dianæ immolasset, ibi fore imperium, idque carmen pervenerat ad antistitem fani Dianæ. Sabinus ut primùm apta dies sacrificio visa est, bovem Romam actam, deducit ad fanum Dianæ & ante aram statuit. Ibi Antistes Rom. cum eum magnitudo victimæ celebrata fama movisset, memor responsi, Sabinum ita alloquitur: Quid ram Tu hospes paras, inquid, inceste sacrificium Dianæ facere? Quin Tu ante vivo perfunderis flumine? Infima valle * præfluit Tyberis. Religione tactus hospes, qui omnia, ut prodigio responderet eventus, cuperet ritè facta extemplò descendit ad Tyberim. Interea Romanus immolat Dianæ bovem. Et* addit Livius: *Fixa per multas ætates cornua* (scil. boum) *in vestibulo templi Dianæ, monumentum ei fuere miraculo.* Qua de re *Plutarchus etiam in Quæst. Rom. & Vinc. Chartarius de imag. DEOR. p. 70.*

* MS. prefluit.

* *Cornutus*) Tuberosum quidem undique caput est, quale *Heurnium* quoque vidisse Experientiss. Dn. D. *Merclinus ad Pandolph.* de ventositate Spinæ haud ita pridem annotavit. Inprimis autem è fronte bina tubera exsurgunt, ut Cornuti nomen plenè mereatur. Adeò male miserum per varios casus collecta lues Gallica habuit, ut veneni vestigia copiosè ostendant ossa semesa totumque

caput

caput miſerè rubeat. Imò forſan non indignè rubet, qui in vita omnem pudorem profanavit.

* *Crania*) Ita *Herodotus in Thalia Cap.* 12. Αἱ τῶν Περσέων κεφαλαὶ εἰσὶν ἀσθενέες, οὕτω ὥστε εἰ θέλεις ψήφῳ μούνῃ βαλέειν, διατετρανέεις; αἱ δὲ τῶν Αἰγυπτίων, οὕτω δή τι ἰσχυραὶ, ὡς μόγις ἂν λίθῳ παίσας διαῤῥήξειας. id eſt: *Perſarum capita adeo fragilia ſunt, ut ſi velis ferire vel ſolo calculo perforare poſſis: Ægyptiorum autem ita firma, ut ea vix ictu lapidis elidas.* Si quod aliud, certe compactum *Egilli* cranium fuit, quod nec ſecures nec mallei confringebant, narrante *Arngrimio Jona l.* 2. *Crymog.* Scytharum autem hic non prætermittenda eſt religio, qui nullum aliud ſimulacrum, quam hominum calvaria venerabantur, & illis pro poculo uti maximum honorem exiſtimabant. *Chartarius de Imag. p.* 3.

Ad Pag. 19.

* *Lyncurium*) Fabellæ & Æſopici logi! Quis enim ampliùs ſe adduci patiatur, credulitatem iis addicere, quod antehac tantùm non jurabant, lyncis urinam, egeſtumque liquorem in pretioſiſſimam gemmam concreſcere, quam non lyncurium, ſed λιγύειον rectiùs dicimus, quòd Liguria, eam potiſſimum gignat gemmam; Quo jam Theophraſtum digitum intendiſſe ἐν τῷ περὶ λίθων Voſſii Etymologicon autumat. Quæ aliàs de viſu Lyncis, Lynceo Idæ fratri, Galliæ decus, *Sam. Bochartus* adſcribit. *P.* 1. *Hieroz. l.* 3. *Cap.* 8. *p.* 799. Ex Tzetze in Lycophr. idem Voſſius annotat, anſam fabulæ dediſſe, quod primus reperiſſet æris argenti & auri fodinas.

* *Ciconiam*) Aquas ſubire hieme divino teſtimonio probaturi, videant, ne cauſa cadant, alia omnia jam dudum perſuadentibus *B. Gerhardo in Iſag. Diſp. XI. S.* 5. §. 2. *Sixtino Amama Antibarb. Bibl. l.* 2. *p.* 304. *Friedlieb. Theol. Exeget. in Gen. Claſſ. V.*

* *Simiam*) Sanè πίθηκος ὁ πίθηκος, κἂν χρύσεα ἔχει σύμβολα; attamen ad liquidum veritas explorata illius *Ennii* eſt:

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Tuentur id h. l. hominis & ſimiæ inſectis apertisque corporibus explicata oſſa, ordini priſtino reſtituta, quæ ſi conferre oculis volueritis, facietis mirabundi, aliàs ad imitandas actiones ſolertiſſimum

mum animal, totos nos ea ſimilitudine exſcripſiſſe. Nec difficulter apparet, quàm non malè humanis corporibus medicina parcens, humaniori olim conſilio, in ſimias ſævierit, ſi quid inveſtigandum. Limaces autem non paveſcere quod dixerim, annotarunt naturæ ſcrutatores, ſimias illis admotas, præ metu etiam vitam amiſiſſe. *Morhard. l. 4. Mirac. p. 258.*

* *Cute denudati*) Dignum opus, cujùs laudes exquiſitiſſimis verbis implerem, niſi ad rei nobilitatem vel nudum nomen Autoris recitaſſe ſufficeret. Volcherus Coiterus is eſt, magni *Agricolæ* popularis, cujus operam Incl. Noribergenſis Reſp. honeſto ſtipendio conduxit *Melch. Adamus in Vit.* Anatomicorum Præceptor dignisſimus; In ipſa ætatis maturitate votis omnium & publicæ Opportunitati præreptus, eo publico hodieque deſiderio, ut ejus effigiem, votivo parieti haud procul à fabrica hac ſuſpenſam videamus, cui Georgii Palmæ quoque imago ſubſtat; utraque Viri Experientiſſ. Dn. J. G. Volckameri donum, cujus etiam in Bibliothecam effuſiſſimus affectus, *hanc quoad muſculos conſpiciendi hominis fabricam, vetuſtate confractam, renovari curavit, cum in Orphanotrophéo infanticidæ cujusdam cadaver in quatuor demonſtrationibus publicè videndum exhibuiſſet, atque ſic ter Anatomen feliciter exercuisſet, menſe Octobri Anno 1669.*

Ad Pag. 20.

* *Chalcicaon*) Patere, religioſe Antiquitatis perite, intemperantiùs me uti hoc nomine, non enim Pallados χαλκιοίκυ templum dare poſſum. Cujus Tyndareus autor, auctores filii, qui perfecere, Lacedæmonii fuerunt. *Meurſ. in Lacon. l. 1. Cap. 3.* Neque aut fuſtuarium propterea meruiſſe, aut in Latumias conjiciendum me exiſtimo, quod illud nomen, ad meum negotium flectam. Fuit illud templum Minervæ æneum; ærea & hæc noſtra ædes, ſtructuræ nitidiſſimæ, auri & argenti incruſtatione ſpectabilis. Martyris verò alicujus hîc quieviſſe membra, illud argumento eſſe poſſet, quod columnæ, quibus parietes circumſcribuntur, omnes *Sebaſtianum* oſtendant, undique ferrea telorum ſegete fœcundum. Procul dubio iis quoq; interfuit ſollemnitatibus hæc arca, quibus antehàc quotannis confluentibus civibus pleræque reliquiæ è B. Virginis templo ad forum oſtendebantur, quod

Urbis nostræ Historici observant. Ita enim de hoc templo *Eobanus Hessus p. m. 18.*

At parte ex alia templum adjacet, hoc opus ipsi
Non vulgare foro decus, ædificavit honori
Matris Christiparæ, qui quartus nominis hujus
Carolus Augustus Romani insignia gessit
Imperii, donisq; volens Regalibus auxit
Templum à se positum, foribusq; insigne superbis.
Quæ fora prospiciunt, auroq; & imagine multa
Vestibulum adjecit, cujus suprema theatri
Pars speciem præfert, & si res postulet usum,
Namque ex hac (velut arce) hominum conventibus amplis,
Relliquiæ monstrabantur; cum nuper adhuc dum
Vana superstitio floreret, & impia in isthæc
Relligio vitia humanas terrentia mentes,
Ficta licet stolidæ, miracula credita, plebi
Relliquiæ fuerant, quæ nunc quoque nota supersunt
Carole Magne Tua, & nostrorum insignia Regum,
De cruce salvifica, & quæ Christi exangue peremti
Transiit hasta latus, non aspernanda profecto
Munera, sed veneranda etiam, si sola vetustas
Commendet meritorum haud immemor, aut male grata
Non etiam cultus nimio observentur honore,
Sicut adorantum. Sed nos ad cæpta feramur &c.

* *Ova ad notas curriculis numerandas exposita*) Ita iterum Livius *l. 42.* Quæ ova V. CL. *Petrum Ligorium* solicitum habent, qui singulo transcursu per columnas in Circo positas, aurigis singulum ovum datum putat. Pronior ad Historici mentem, *Marcelli Ponzani Comitis* animus est, qui, *alius* inquit, *ovorum usus erat, nempè ut aurigantibus ostenderent, quot circuitus in cursu perficiendi essent. Columnis enim corpuscula ovali forma prædita, superposita erant. Ova itaque numerum curriculorum signabant perficiendum.*

Ad Pag. 21.

* *Qua Bibliothecam*) Lignei pugillares ſunt, manu PRINCIPIS GLORIOSISSIMI pleni ac nobiles. Plura ſi vis, en tergum quæ habeat: JOHANNIS DUCIS SAXONIÆ CAPTI ELECTORIS PATRIS MANUS E CONCIONIBUS LUTHERI.

Ad Pag. 22.

* *Mexicanum hoc Idolum*) Quocunque oculo miſelli hujus intueor exuvias, Cercopithecum oſtendunt. Ut enim huic populo nulla alterius vitæ erat ſolicitudo; ita optio illis dabatur colendi, quod maximè probabat cupiditas. Ex omnibus autem Simiam in pretio habuiſſe videntur, quibus ſacra expediiſſe, ex *Maffæo* & *Balbo* accepimus. Inprimis huc illa *Voſſii* pertinent. *l.3. Idol. Cap. 75.* Inter quæ hæc *Linſchotani* refert; Luſitanos A. 1554. capta inſula Seylon, non contentos eam vaſtari, templum etiam in monte Adami ſpoliaſſe, nihil verò præter ciſtulam inveniſſe, auro gemmisque pretioſam, ſimiæ dentem ſervantem, pro quo Reguli Septingenta ducatorum millia offerebant. Epiſcopi tamen monitu in cineres redactum, diſperſumque eſſe. O miſeras hominum mentes &c. Quamvis animalium hic cultus ſymbolicus eſſe videatur, utut apud ſimplices in proprium abierit. Neque enim hic alienus *Euſebii* locus erit. *Præp. Evang. l. 11. c. 11. Felem, inquit, adorant Ægyptii propter aſpidas, & ſerpentes venenatos; ichnevmonem, propter Crocodilos &c.*

* *Auro inſperſum*) Et eo ipſo nomine conviviis potiùs adhibendum miſellum putarem, quàm aris; ex more harum gentium, quæ Regum ſuorum menſes ſubituræ, ut ſunt nudæ, omnibus membris opobalſamum primùm (curca dictum) inducunt, quo benè pingues; habent, qui tenuiſſimam ex auro arenam aſpergant, & ut tenaciùs hæreat, ope fiſtulæ afflant, & ita pulchrè pulverulenti convivis ſe admiſcent. Enarrante *Ziglero in Itin. p. 254.*

* *Divitias literarum*) Ita *Kircherus Chin. Illuſtr. p. 227. Literarum tantus eſt numerus, ut decem millia ad idioma perdiſcendum, modò ut tolerabiliter converſari quis poſſit, requirantur.*

Hieron. Bezonus ad lectionem 85000. figurarum cognitionem poscit; aut qui viri docti nomen mereri voluerit, 120000. *p. m. 391.* Et quod rei difficultatem intendit, unicuique Provinciæ proprius linguæ genius est; eo consensus (ut ita dicam) dissensu, ut diversarum Provinciarum cives, ex uno eodemque libro, omnes eodem verborum sensu legant, legentes tamen se invicem non intelligant; hinc factum ut linguam præter suam, addiscant toti Regno communem, quæ *Trigautio* Quontoa, *Kirchero* Mandarina dicitur, qua judicia dant, pro capite dicunt, omnesque controversias, & negotia publica expediunt. Hæc dum chartæ mando, (rei opportunitatem!) *Inventum Brandeburgicum, sive ANDREÆ MULLERI GREIFFENHAGII, Præpositi Berlinensis propositio super clave Sinica* ab amicissima Manu in manum accipio, quo VIR, Commentariis suis de monumento Sinico & aliis, erudito orbi celebris, *Sinicorum Characterum lectionem facilè, & faciliùs quàm aljus scriptura expediri, totamq́ legendi rationem exactissimè cognosci posse* §. *10.* promittit.

Ad Pag. 23.

* *Archimedem formis intentum*) De Archimede scitu dignissima è *Stobæo*, *Hieronymus Mercurialis* habet, in doctissimis *de re Gymnast. libb.* Eum nempe tantis studiis incubuisse abaco, ut non rarò figuras ducens, famulorum cura vi abstractus, oleoque perfusus, in ipso corpore, medicamentis formas inscripserit. *Lib. 1. cap. 8.* Atque inter has ego formas, Chinensiumque divitias, inopiæ meæ compendium facio. Quippe malo apibus similis, quàm formicis esse, quæ hoc tantùm agunt, ut alienam messam in sua horrea congerant. Clariùs dicam:

Mihi non verborum minùs, quam pecuniæ honesta parsimonia est. Si quid verò aut perperam admissum aut licentiùs hîc dictum scriptumve sit: JUVENEM ME ESSE. JUVENIS OFFICIO FUNGI. HAS PAGELLAS TESTOR. ET MEMINISSE L. VOLO. AUT SI LIVORI MEDICINA NON SIT. ESTO. QUI POSSUM?

LATRET UTERQUE CATO.

CHRI-



CHRISTOPHORI ARNOLDI AD JOH. JACOBUM LEIBNITZIUM EPISTOLA GRATULATORIA.

Amicissime Leibnitzi, ad exemplum virtutis, doctrinæ, omnemque elegantiam nate!

EGo certè & Tibi & mihi gratulari necesse habeo, cùm singulari industriæ Tuæ apertus sit campus nobilissimus; qui haud dubiè ostendet, qui vir aliquando futurus sies. Bibliothecæ etiam nostræ gratulor, Te Memorabilia *illius absolvisse, quorum est maxima apud nostros & peregrinos omnes expectatio: Nam ex argumenti sui præstantia multiplicem utilitatem legentibus allatura sunt. Cæterùm promisso teneor, cujus summam uti nunc compleam, & verba resarciam, opus est: Benignè enim pollicitus eram, me ex Anglicano Scriptore illo,* Thoma Brovvne, Doct. Medico, *urnas sepulchrales, in* agro Nortfolciensi *repertas, Tecum Latino sermone communicaturum. Scripsit is A. 1658.* Hydriotaphiam, *idiomate Britannico,* Urne-buriall *dictam; cui occasio data est,* „ *cùm aliquot retrò mensibus, in agro* veteris Walsinghami, „ *quadraginta, vel quinquaginta circiter urnæ, in sicco quodam & arenoso solo depositæ, ne cubitum quidem in profunditate superantes, nec longiùs à se invicem remotæ, effoderentur; quædam ex illis* ossium duo pondo *continebant, in quibus crania, costæ, mandibulæ, femora, & dentes distinctè conspiciebantur; & notæ quasi recentis adhuc combustionis eminebant atque apparebant. Videbantur hîc etiam* „

„ *parvæ pyxides, commodè & eleganter factæ; necnon pecti-*
„ *nes, manubria instrumentorum, ex tenui ære, itemq; ærei for-*
„ *pices, quibus capilli, aut pili inciduntur, additi erant:*
„ *Et in una, quam amicissimus* D. Thomas Whiterley, Wal-
„ singhamensis, *dono illi miserat, gemmæ species, quam* Opa-
„ lum *vocant, inventa est.*

Nec procul ab illo fundo, per cubitos sex, rogi reliquiæ,
„ *carbones & cineres effodiebantur: Ibi, quantum conjectura*
„ *assequi licet*, Ustrina, *id est, locus, in quo cadavera com-*
„ *burebantur; sive etiam sacrificiorum, pro Manibus, area*
„ *quædam fuit: Facies enim illa inferior loci* Aras, *sive* Al-
„ taria *Deorum atque Heroum repræsentabat.*

Has igitur urnas Romanorum *fuisse, ex eodem loco, in quo repertæ sunt, haud obscurè conjicimus: In vicinia enim* Romanū præsidium *erat, milliaribus quinq; tantùm distans ab oppido* Brancaster; *cujus antiquum nomen* Brannodunum *in vetustissimis monumentis vocatur, quasi dicas*, ab urendo (*id enim* Bran, & Branno *indicant*) Ustionis-castrum. *Itemq; urbs adjacens, quæ sex parochias hodiè in se complectitur, Saxonica voce, & parum ab illa differente, hodienum* Burnham *appellatur. Quæ cùm primo olim tempore Romanorum statio esset, probatione haud eget, vicina quoque loca vel* Romanis, *vel* Romano-Britannis *referta fuisse incolis, Romanarum consuetudinum tunc observantissimis.*

Nec probabilitati contrarium est, Romanos *maturrimè regionem hanc possedisse: Licet enim ex historia Britannica de partibus illis tàm strictè haud quicquam certi affirmare liceat; ante novam* Constantini *institutionem, & functionem militarem tractus* Saxonici, *idq; circa invasiones* Saxonum; *cùm nempe* Dalmaticus *eques præsidium* Brancastri *obtineret: Nihilo minus tamen temporibus* Claudii, Vespasiani, & Severi, *non pauciores quàm* tres legiones, *per* Britanniæ *provinciam hinc inde dispersas observamus. Adhæc, regnante* Claudio, *invasore maximo*, Iceni, *Britanniæ populi, Romanum ducem* Ostorium *passi sunt. Nec longè post regio illa tantis molestiis*

vexata










P. 46.

vexata fuit, ut in spem melioris status, ipse Prastaagus *regnum suum* Neroni, *& filias suas traderet: Ac* Boadicea *tandem, uxor ejusdem novissimum cum* Paulino *prælium susciperet. Post hæc verò tempora* Vespasiani *ductor,* Agricola, *omnem regionem possedit, & in præsidia ac habitationes pro lubitu divisit: Quas ex antiquis operibus ac monumentis, aggeribus ac vallis, monetis ac urnis certò colligimus.* Urnæ *quædam inventæ sunt ad oppidum* Castor, *nonnullæ circa* Southcreake; *& paucis abhinc annis* decem *aliæ, in agro* Buxtonensi, Rob. Jegon, *Equitis fundo; quarum reliquias, inibi repertas,* Dn. Will. Paston, *Baro, diligenter custodivit. Haud rarò etiam in Anglia nummi Romanorum ærei & argentei repertu dantur, velut* Vespasiani, Trajani, Adriani, Commodi, Antonini, Severi, *aliorum; sed maxima ex parte* Diocletiani, Constantini, Constantis, Valentis, *sæpè etiam* Victorini, Posthumii, Tetrici, *& XXX. Tyrannorum, cum imperio* Gallienus *præesset. Quid, quod &* Adriani *numismata prope* Sitomagum, *vulgò* Thetford, *inventa sunt; cujus in Itinerario suo Antoninus meminit, viam innuens ab oppido* Venta, *sive* Castor, *versus* Londinum. *Frequentissima tamen illorum detectio ad duo castra,* Norvvich *&* Yarmouth *accidit; quæ cimelia* Thom. Wrod, *Vir industrius, & omnis antiquitatis peritissimus servabat, ac desiderantibus quoque ostentabat: Nec non prope* Burghcastle *&* Brancaster, *ubi Generosissimus* Dn. Ralph Hare, *Baro, his gazis olim delectabatur. Tantam verò monetarum copiam Romanos in hisce provinciis sepeliisse, credimus; ob invasiones barbarorũ, qui illos, haud rarò sedes suas relinquere cogebant: Præterea lex quoque obstabat, prohibens, ne nummi isti in alium usum commutarentur. Verùm ex hoc ipso diverticulo nunc revertamur ad urnas, in quibus sæpiculè nummi adhuc inveniuntur: Nam in agris, prope* Londinum, *vulgò* Spittle Fields *dictis (quod* Stovvesius, *in Delineatione* Londini, *dudum observavit ac monuit) urnæ eruuntur, continentes numismata* Claudii, Vespasiani, Commodi, Antonini; *unà cum Lacrymatoriis, Lampadibus, Vasculis liquorum,*

rum, aliisq; ad superstitionem hanc attinentibus. *Longo abhinc tempore ad* Ashburie, *in provincia* Cheshirensi, *urna* (*sed cujus nationis, vel hominis, Britannos latet*) *prolata est, ingentia ossa & clypeum continens; cujus meminit* Tvvinus de rebus Albonicis. *Quid amplas commemorem urnas, juxta* parvum Massinghamum, *in* Nortfolcia *repertas; de quibus* Holingshead *videri potest? Neq; opus est dicere de urnis illis, ad* Anglesea, *ita collocatis, ut orificia earundem deorsum tendant, & quasi in terram propendeant. Id verò admiratione dignum videtur, quod & in aliis regnis, in quibus Romani haud circumtulere arma sua, velut in* Norvvegia *&* Dania, *urnæ tales inventæ fuerint; quas Ol.* Wormius, in Monum. & Antiq. Dan. *singulari cura ac fide describit. Urnis abundare collem,* Adolphus Cyprius in Annal. Slesvvic. *tradit. In* Jutlandia *&* Anglia Cimbrica *urnas unà cum ossibus, nostra etiam ætate erutas fuisse constat. Atq; hæc faciunt, ut mihi veniant in mentē, quæ Vir in studiis doctrinarum egregius, & sine ostentationis odio peritus,* M. David Nerreterus, *novissimè mihi enarravit; postquam*

— variis avido satiatus pectore Musis
doctior ad patrias lapsus pervenerat oras.

Tunc, inquam, venit Is mecum in collocutionem, ut & de urnis loqueremur inter nos; quas ipse, unà cum aliis, è monticulo quodam, in Lithuania Borussica, *juxta parochialem pagum*, Blibiske (*qui tria millia abest ab urbe* Insterburgo, *undecim à* Regimonto) *anno superiore, nec integras tamen eruebat: Argilla erat nigra, fragmenta mollia; sed quæ sensim in aêre duritiei pristinæ se dabant. Integrarum forma hæc fuit:*



Affir-

Affirmavit præterea, plures in vicinia tumulos esse, qui hujuscemodi vasa continere videntur. De operculis *urnarum perhibet* D. Thom. Brovvne, *eas pyrite aut silice contectas fuisse, quæ* Buxtoni *inveniebantur; alias, tegulis sive lateribus; illas, in castro* Yarmouth, *testis Romanis. Velut ex abundanti de Omphalo, aliisq; gemmis adjicimus, has in defunctorum annulis intactas permansisse, vel etiam ab amicis, ceu singulare amoris pretium, rogo superinjectas fuisse.* Locus *sepulturæ non erat in templis; sed, more antiquissimo, in campis & agris fuit: Sicut* Cananæi *solebant, & familia* Abrahami; *sepulchretum* Josuæ *in terminis ac limitibus possessionum quem latet? Hos imitati sunt cæteri, ut mortalitatis memoria semper præ oculis foret. Atq; hinc nomen cœmiteriorum, Christianis hodieq; usitatum,* ein Godsacker, *quasi dicas*, Dei ager. *Postremò combustionis lege cautum fuit, ne vermes reliquias mortalitatis consumerent; nec serpentes hanc hereditatem adirent: Solent enim cadavera interdum durare diutiùs, inprimis autem eorum, qui hydrope exstincti sunt; quale idem Anglus commemorat, quod in cœmiterio post annos decem integrum adhuc exstabat, pingui concretione quadam servatum; cujus conservationem plurimum quoq; adjuvit nitrum terræ, sal item, & lixiviosus liquor ipsius corporis; qui largiores pinguedinis massas coagulaverat. Neq; etiam in una eademq; terra pariter atq; insimul defunctorum corpora computrescunt; corpus enim* Thom. Marchionis à Dorset (*fidem* Burtoni *testor, in* Descriptione Leicestriæ) *sepultum A. 1530 atq; post annos octo & septuaginta, hoc est, A. 1608. è cereo panno protractum, adhuc perfectum & incorruptum fuit; nec dura caro, sed ratione coloris, proportionis, ac mollitiei simillima corpori, quod nuper humatum novimus. Verùm hæc* ὡς ἐν παρόδῳ. *De* capacitate *urnarum (quarum plurimas sibi visas testabatur Salmasius, in familiari colloquio, cum* Schildio, ad Suetonii Aug. cap. 100.) *sciendum, eas geminatæ cavæ manus magnitudinem raro excessisse: Veteres enim cum legére reliquias, non fuere tam anxij, ut omnes absumti cadaveris cineres conquirerent; & in urnam conde-*

rent : Quod falsò sibi multi persuadent, qui & linteum quoddam ἄσβεστον *ex ingenio suo comminiscuntur; servandis, ut volunt, à mixtura cineribus adhibitum. Hinc Agrippina Germanici* ferales reliquias sinu tulisse *dicitur, apud Tacit. Ann.* 2. *Item*, feralem urnam tenens egressa navi, *Ann.* 3. *Et Poëtæ dicitur urna*, quod digitis quinque levatur onus. *Fuere quidem (pergit inibi* Schildius *) etiam* urnæ majores, *sed ea* Ossuaria *appellabantur; in queis urnæ plures, atq; adeò totius familiæ reliquiæ locabantur. At seorsim una quæque urnarum, tantulæ cum esset magnitudinis, quomodo* totius *corporis, & sæpe quidem* ingentis *capere cineres potuit? Dicendum est igitur*, reliquias legere, *nihil aliud priscis illis fuisse, quàm residuas ossium particulas colligere. Quippe & nunquam in corpus ita flammæ sæviunt, ut totum planè consumant : Et in urnis sæpissimè ossicula inventa sibi, Salmasius affirmabat. Subinde quidem, pro affectu in defunctos, aliquantulum cineris adspersere; sed illud & oppidò exiguum fuit, & cum papyri ac aromatum cineribus confusum. Quæ* Raderus ad Martial. Lib. I. Epigr. 115. *de cippis, testis, cineribus, aliisq; plena manu congessit; quæ* Boxhornius in Quæstionibus *suis* Rom. *quæ* Gutherius de Jure manium, & Smetius in Additamentis ad Pinacothecam, *ex epistola ad Heinsium, habent; repetere hîc nec oportet, nec opus est : Immò Epistola ipsa cogit, ut desinam.*

Quid verò dicam tandem, Optime Leibnitzi? *Molire subinde aliquid, dum, ut ille loquitur, & venia est, & spes, & favor, & audere non dedecet; & si quid desit operi, ætas suppleat. Satis Tibi est, si tenuitati ingenii ignoscant, qui ut pro magnitudine suæ eruditionis non nisi magna, & quæ supra seculum, condere possunt ac æstimare; ita pro candore suo veniam audenti non possunt denegare. Perge ita, & illud Romani Sapientis semper cogita* : Iniquè irasceris meo errori, stultè ignoscis tuo; ut absolvaris, ignosce. *Denique in mentem nunc est gratulatio illa Symmachi, ad Protadium* : Eloquentissimus juvenis, ut fando comperi, proximis

mis facundiæ calcibus urget parentem! O, te beatum, amice, si vinceris! *Author tacitè ostendit (Jureto interprete) ex officio naturæ & charitatis esse, ut magis parentes suis liberis, quàm sibi consultum esse velint; neque molestè ferant, se liberis inferiores videri, omni virtutum & literarum honore.*

Quid multa? Certamen cum Venerando Dn. Parente ingredere; gaudebit, si viceris. Totum Te Tibi soli debere potes, & pretium Tui Tibi includis: Virtus se extra se non quærit: Magnitudine ingenii datum Tibi est, quidvis assequi. Scribebam hæc raptissimè, & ægra adhuc manu; nam saxeus iste mihi morbus incubuit, & tantùm non ad plures jussit commigrare. Interim vale ab

Norimb. d. XVI. Sept.
A. S. cIↄ Iↄc LXXIV.

ARNOLDO TUO.



En nunc B. L. Autorum indicem:

TABULAM

non ambitionis,

ſed

Fidei & Gratitudinis.

A.

ADamus Melch.
Adrichomius.
Agricola.
Albinus.
Aldrovandus.
Allatius.
Amama.
Ammonius.
Andreæ.
Antoninus.
Aringhius.
Aventinus.

B.

BAlbus.
Baldus.
Barbarus.
Bartaſius.
Bartholinus.
Baſilius de Varna.
Becanus.
Bellonius.
Bezonus.
Blondus.
Bochartus.
Bonifacius.
Borellus.
Borrichius.
Boſius.
Boxhornius.
Brovvne.
Burſerus.
Burtonus.
Buxtorffius.

C.

CAlceolarius.
Campanella.
Cardanus.

Caſa-





INDEX RERUM.

C. Cæmi-

C.

E.

F.

G.

Mercu-

Scele-

Hujus opellæ ſpeculatur fortunam Ἰωάννου τοῦ Πεδιασίμου σύνοψις περὶ μετρήσεως καὶ μερισμοῦ γῆς; *& aliud:* Πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν; *quæ in INCL. BIBL. ſcriniis MSStorum curioſiùs verſanti in manus venère. Digna, quorum uſus in commune derivetur, ſi quidem occaſio, fautor etiam commentatorq; contingat.*

F I N I S.

